


JOANNIS ALOYSII MANEIRI
VERACRUCENSIS

DE VITIS
ALIQUOT

MEXICANORUM
ALIORUMQUE

Qui sive virtute, sive litteris Mexici
inprimis floruerunt.

PARS PRIMA.



BONONIÆ

Ex Typographia Laelii a Vulpe 1791.
Superiorum permissu.

PRAEFATIO.

Virorum, qui vel pietate, vel doctrina, vel utraque laude, Mexici olim excelluerunt, et ab anno saeculi decimi octavi sexagesimo septimo interierunt, speciem, et formam adumbrare conati sumus; ea quidem fidelitate, ut in uniuscujusque factis non tam hominis elogium, quam imago ad vivum expressa videatur. Nec enim, qui alterius effigiem exprimit, id potissimum tentat, ut pulcherrima sit tabula, sed ut exemplari simillima. Proinde, si quando calamus incidit in naturae vitia, quae veriorem faciant exemplaris imaginem, nihil ea fateri cunctati sumus; ut etiam nihil a vitio ad virtutem traduximus; nec puduit labeculas quasdam expromere, quae virtutem etiam

purgatissimam parum commaculant. Nemo est ullus, qui nesciat, id historiae fidem postulare, id Suetonium, id Nepotem, id Plutarchum, id (quod caput est) Sacros Codices exemplo docuisse, qui vel eorum, quos laudant, non silent crimina. Quod si rarae labes apparent in viris, quos descripsimus, non continuo infidelitatis arguendi sumus, quasi fingere mortales audeamus non ex communi limo conflatos: id enim eatenus est, quoniam ex ingenti bonorum messe fere praestantissimos elegimus depingendos. Utique plures praetermisimus, non certe quia electis minus dignos judicaverimus; sed quia de ipsorum factis pauca admodum devenerunt ad nos; tametsi virtutibus illos eminuisse, generatim intellexerimus. Horum tamen aliquot, brevissima virtutum suarum narratione, instar appendicis, ad opusculi calcem, posterorum memoriae commendamus. Pro notitia factorum haurienda, fontes attigimus, quibus puriores alios alibi reperire omnino non credimus. Longe fuimus a praestanda fide levibus auditiunculis, quae nullo certo teste cum per populum serpunt, aures quidem indoctorum recreant; sed apud justos rerum aestimatores nullius habentur auctoritatis. Plurimorum eventuum nosmet fidem facimus; et supremum cordium cognitorem, quoties opus fuerit, veritatis testem appellare poterimus. Multa vero decerpsimus tum ex confectis antea codicibus, tum ex narrationibus; quae utraque veniunt ab hominibus, quorum castam veritatem

lon-

longo experimento cognovimus. Describere voluissemus et alios; quibus tamen in hoc opusculo non est locus, quoniam elegantiori calamo vivunt posteritati. Sunt in his Abadius, et Alegrius, clara in Mexicanis nomina; quibus contigit historicus tenuitate nostra longe praestantior.

Latinae puritatis nitorem nihil offendi arbitramur, quod vocabula quaedam adhibuerimus, in aureo Latinorum saeculo nihil cognita. Introtulit et similia Tullius, cum tractaret philosophica; qui propterea in Oratore dicit. In omnibus hoc fit artibus, ut, cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habuerit ante nomen; necessitas cogat, aut novum facere verbum, aut a simili mutuari. *Complures hodie sunt latini sermonis religiose cultores, qui exhorrent oppido, cum latine reddita vident nomina, quae in Cicerone non legunt. Horum religioni ut obsequamur, verborum circumlocutione, in quibusdam enuntiandis rebus, utimur aliquando; bona tamen ipsorum pace, dicimus* Adelantadum, *dicimus* Clerum, *dicimus* Canonicum, *idque generis alia. Haec certe vocabula in Tullio non reperies: cum autem res appellemus, ipsius aetate ignoratas, nova facere verba necessitas cogit. Major est difficultas in latine reddendis urbium nominibus: Mexicana enim Geographia latinis nostri aevi auctoribus intacta pene provincia est. Tales erant Germanica, et Gallica, priusquam insuavia nomina urbium, et na-*

 tio-

tionum, mira Caesar dulcedine in latinum sermonem verteret. Nos profecto, in hoc Mexicanis urbibus redendo nomine, id assequi conati sumus, ut nativo suo vocabulo non dissimiles, latine desinant: nimirum ex Tullii consilio, ab similibus Latinorum nominibus nomina mutuando. Unum superest, quod conatibus respondeat eventus.

JOAN-

JOANNES VILLAVICENCIUS.

INgressurus Joannes Petrus Maffejus historica quaedam de Japonicis rebus dicere, locum haud dubie postulare censuit, de terrae ipsius, et cultorum ingeniis, ac ritibus exponi nonnulla. Liceat et mihi de Mexicanae vineae cultoribus acturo, et statim clarissimi viri, cui patria Mexicus, vitam aggressuro, perbrevem Mexici descriptionem praemittere. Id eo magis existimo benigne mihi donandum, quod haec scribo Mexicanus, Mexico exul anno jam secundo et vigesimo; nec alias datum est, debitum charissimae patriae amorem persolvere. Mexicus ergo urbs est perampla, caput olim Imperii florentissimi sub strenuo indigena Moctezuma; nunc Novae Hispaniae princeps sub Regum Hispanorum dominatione. Jacet in orbe illo novo mediterranea, latitudine boreali ad gradum vigesimum. Nullo anni tempore non fruuntur incolae dulcissima coeli temperie: nam nec sirios ardores regionem exurere patiuntur decidentes tunc pluviae; nec horrida bruma ingravescere potest a perpetua, et in illis mensibus pulcherrime suda Solis facie, qui et rectos propemodum radios emittit in ea terrarum constitutione. Septimo, et sexagesimo saeculi vertentis anno, quasi albam avem, vidimus nivem cadere, ibi gentium inusitatam;

quae Januario ineunte, dum haec scribo, mense jam toto Bononiam dealbat. Opima tellus illa est, quae reddet impendio quod velis confidere. Luxuriant in arbore gratissimi saporis poma, quorum plura, eaque suavissima, nec nomine huc venere. Quod tamen magis miraberis, quacumque anni tempestate apparent in campis pascua, viridibus frondibus recreare licet oculos, neque fructus volenti deerunt aliquot recentes ex arbore. Indigenae fere sunt indole dulces, aditu faciles, ingenio feraces, consuetudine urbani, peregre illac adeuntium sinceri, et boni hospites, dominationis patientes, Hispanorum Regum perquamamantes. Tales olim testabatur litteris ad Philippum Borbonium Hispaniarum Regem Petrus Alencastrius Portugallius, Dux Linarium genere clarissimus inter primos Hispaniae Proceres, Praetor Mexicanus. Civitatis amplitudo quadratis ulnis constat septingentis quatuor millibus nongentis sexaginta tribus: unde patet, unumquodlibet latus, quod Arithmetici appellant quadrati radicem, ex ulnis conflari octingentis et fere quadraginta. Praeter alumnorum Seminaria, et utriusque sexus religiosa claustra, quorum ingens est numerus, et praeter humiles in summa tenuitate viventium casulas, ter mille quingentae duodetriginta domus recensentur; harum vero singulae ad ulnas decem, duodecimve in longum protenduntur. Per omnes civitatis ventos in commorantium delitias concinnata sunt pulcherrima visu loca, hinc atque hinc arboribus consita, ma-

nu-

nufactis rivulis mirifice amoena, et sive apricationi, sive refrigerationi, pro varietate temporum, omnino convenientia: quae certe loca festinanti describere calamo plane non possumus. Viae spatiosae sunt ad ulnas fere quindecim, et facilem praebent locum ingenti omnis generis rhedarum, commeantium, ac deambulantium frequentiae: quarum etiam viarum adamussim recta constitutio longe patitur distendi oculos, quocunque te verteris. Ut urbs est illa supra immensum erecta lacum, variis per ipsam maeandris euripus excurrit, utique parato ad trajectum non levi cymbarum numero; quarum usus ad importandas, et deportandas merces, primae sane commoditatis est. Neque vero timeas, licet, ab aquis perpetuo subjacentibus aerem corrumpi: nam apothecas, in ima aedium parte sitas omnes, ut intraveris; repositas fruges, et caetera quaevis reperies, nihil certe putrida, nihil mucida. Cujus rei, mirabilis quidem, in causa esse creditur, quoniam aquae sunt illae nitrosae admodum: quod intelligere licet ex parietibus isto sale vestitis ad ulnae plus minus altitudinem; ut ad aliqua loca scopis illos tergere quotidie mane operae pretium sit. Aedificia consurgunt ad duas, ad tres interdum contignationes; ad quartam vero pauca, propter paludosam soli mollitiem: usui tamen percommodaé sunt aedes, et in quibus dubium, majestasne praestet, an impensa? Eminent firmitate, atque elegantia princeps Numinis templum, Praetoris palatium, monetalis officina: quam po-

postremam laudibus extollunt peregrini sapientes, qui pro tot operibus egregium in illa mirantur ordinem. Utinam et Phidiam ab initio coluissent indigenae, ut coluere Vitruvium, atque Apellem! nam ut architectos, et pictores excellentes habuere non paucos, ita statuariis optimis vulgo caruere. Hodie vero novum est Mexici ornamentum trium ejusmodi liberalium artium Academia. Lectissimam ab Hispania vetere nobilitatem transtulere complures, quibus illuc accedentibus cum imperio placuere gentes illae, quas inter constituerent familiam; atque inde proceres cum proceribus clarum sanguinem sine invidia communicarunt. Mitto singulos vocare nomine, qui ex clara, et vetere prosapia sunt; cum genealogos legenti facile pateat, plures esse in Hispanis nobilissimas familias, quae ramum suae claritatis aliquem in Mexicanam aream transtulerint. Opulentae sunt etiam, ac pecuniosae familiae complures: atque ut alias taceam, decessit paucis abhinc annis famosus ille Terrerius, Comes Regulae, cujus amplissimam haereditatem litterae nunciae supra modum ampliaverunt; id enimvero certum, ultra centies centena millia reliquisse unciales argenteos. In Mexicana monetali officina singulis annis signatur, ut minimum, ad centies octogies centena millia uncialium argenteorum: nimirum ad Novae Hispanicae ditionis pagos, auri nonnullae, plures argenti fodinae elaborantur. Et haec, quae fodiuntur e terrae visceribus metalla, et ingenita incolarum magnanimitas,

tas,

tas, luxum in urbe pariunt non modicum: gaudent enim cultu eleganti, pulcherrimis rhedis, argentea supellectili, sumptuosis ad domi parietes peristromatis. Sed quo potissimum se se beatos, ac divites arbitrantur, imago est Mariae Guadalupensis, quae tribus a M xico m l aribus conspiciendam se dedit, vili pallio depictam, cinereo colore, comi vultu, ac pulcherrimo, demissis oculis, manibus ad p ctus junctis more supplicum, stéllis amictam, luna sub pedibus, sole circumdatam. Quo loco primum imago haec visa divinitus fuit ab indigena, conspiciuntur nunc Aedes peramplae, Mexicanorum magnificentia constructae, atque ornatae; ac praeter sumptus alios, imaginem ipsam, cui altitudo est ad hominis naturalem staturam, argento prius, recens vero pietatis fervor auro solido marginavit. Verbo, quod Italorum pietati Lauretana domus, id Mexicanis est Guadalupana. Et haec raptim dicta, satis habeantur; quoniam esse me in iis longiorem, operis institutum non patitur.

Hanc urbem habuit patriam Joannes Villavicencius, quem dedere mundo nobilissimi parentes octavo decimo kalendas Januarias, anno post millesimum septingentesimum nono. Patris gentilitia sedes Hispalis fuerat, cujus familia una est ex pervetustis illis, quae tantae urbis dignitatem constituunt. Mater aeque claro sanguine; Penna cognomine, cui propinqua necessitudo cum Mexicanis Primariis. Binos illustris haec foemina mares enixa est; qui uterque clarius

rius reddiderunt, quam acceperant, Villavicencii nomen. Petrus, natu major, in profano mundi strepitu vitam agens, mirabili enituit pietate; ut annis jam maturus, digito notaretur ab omnibus: en caste religiosum, en sincere modestum hominem. Nihil hic petens, neque vero cogitans, monetalis officinae Praefectus renuntiatus est ab Hispaniarum Rege Ferdinando Borbonio: quo in difficili, ac periculoso munere ita se gessit purus, atque integer ad plures annos; ut ad trutinam olim cum appenderetur, nec obolo alieno sit inventus manus coinquinasse. Mexicani Praetores assiduis illum familiaritatis indiciis decorabant, atque in arduo quolibet negotio sententiam ejus exquirebant. Consiliarii Regii donatus honoribus, quievit in pace, Regi suo fidelis, familiae decus, patriae charissimus. Joannes, cujus imaginem describere aggredior, adolevit ea morum innocentia, quam in sacro fonte susceperat: et, si externis ipsius moribus, atque optimae fidei testium suspicioni fides aliqua danda est; hac ipsa nuptiali veste indutus, postquam e mortali vita migravit, ad aeterni Judicis tribunal comparuit. Educatus nobilium institutis, atque intentus pietatis, et scholarum exercitiis; tum suamet indole, tum impulsus Parentum exemplo, quibus erat in delitiis dulcissimus adolescens, virtute, ac doctrina ultra aetatis terminos crescebat. Formarant ab incunabulis Parentes puerum, qui justae cupidus aliquando excellentiae, nactusque honores, quos fere magni-

fa-

faciunt homines; nova decora gentilitio nomini compararet. Verumtamen summi Rectoris destinatione longe alius futurus erat puer ille; novam utique familiae gloriam, sed diversa via, quam ipsi speraverant, redditurus. Tenellus adhuc Deum sibi loquentem intrinsecus audiit, atque ad Jesuitas vocantem; nec expavit puerulus ad vitam humilem, quam suscipere imperabatur. Doluere certe Parentes, quod filius ea indole, atque ingenio, quibus possent olim familiae decus maximum praesagire, ad abjectionis institutum confugeret. Sed cum pietate potissimum clarerent, ac filii aeternam salutem prae honoribus, ac divitiis desiderarent; quamcunque fluxarum rerum spem uni Dei voluntati posthabendam rati sunt. Hac ducti cogitatione, pueri precibus tandem annuunt, patiunturque, nec sine lachrimis, ut vota conferat sua cum societatis tunc Praeside. Hic accedentem Joannem, ac pluribus interrogatum, postquam dies aliquot tentavit, omnino dignum arbitratus est, quem ad Socios adscriberet: ac tametsi aetate adhuc esset paulo inferiori, quam exigebatur pro caeteris; ei nihilominus, quem tantis dotibus liberalitas Divina praevenerat, id impedimento non esse judicavit, quominus in tirocinium probandus mitteretur. Proinde quinto fere mense ante annum aetatis quintumdecimum, Tepotzotlanum ingreditur, pagum ab urbe Mexico ad alterum et vigesimum milliarium itinere, ubi Mexicanae Provinciae exercebantur tirones.

Ita recisa ultro spe de futura inter munda-

danos amplitudine, totum se se dedit ad aeterna quaerenda. Juvenis id aetatis tenellae, nobilem, atque apprime christianam functus educationem, quem tot jam ornabant virtutum initia, cui proclivis etiam ad bonum indoles; haud difficulter suscepit sanctam morum disciplinam, ad quam in eo loco Socii pro reliquo vitae tempore formabantur. Atque ibi jecit ea tranquillae virtutis, et animi aequalitatis fundamenta, quibus in tot vitae inopinatis casibus, ac tanta postea munerum varietate, sibi semper constans visus est. Ibi dare operam inchoavit corpori flagello, et inedia macerando, domandisque ac penitus profligandis animi motibus, ne unquam incompositi exurgerent in necessaria cum hominibus consuetudine. Ibi didicit de suo remittere jure, ne contentiones orirentur. Ibi etiam constantissimum studium ad communia Socis exercitia; quae praeterire, nefas esse duxit, quibuslibet aliis occupationibus intenderet. Ibi sacrae meditationis amorem, oculorum modestiam, tempestivam linguae custodiam, religiosam totius corporis compositionem, quibus in posterum virtutibus, quocunque fuit et loco, et munere, Lojolae filium se probavit. Ibi christianam philosophiam, qua magis in dies instructus, nuntio dato cupiditatibus, et honoribus, unam sui muneris, quodcunque imponeretur, obligationem curabat. Ibi demum mirandam illam sive quaesitam arte, sive ingenitam dotem (et hanc certe dicam ipsi peculiarem) qua nimirum potuit adamussim describere in suis mori-

ribus virtutem amabilem. Etenim quicunque hominem sive familiariter intueretur, sive casu etiam audiret dulcissima serenitate miscentem sermones; intelligebat confestim, quanta sit virtus pulchritudine, quantisque meritis digna, quae honorem sibi, et amorem omnium conciliet. Enimvero haec ab his exordiis jam praemisi, ne saepius repetam, eundem iisdem virtutibus Joannem fuisse, sive privatum, sive Magistrum, sive Superiorem commemorem. Tirones tamen, atque ipsorum Moderator eo magis pueri demissionem, atque ad omnia domus exercitia constantiam, atque alacritatem mirabantur; quod et tantulus esset annis, et delicate institutum intelligerent.

Confecto tirocinii plus biennio (nam accesserant ad commune tempus menses illi, quibus ante legitimam aetatem fuerat ingressus) tribus de more votis ferventissime se se Deo consecravit; ac studiorum curriculo confestim intendere jussus est. Ut erat eximia diligentia in eo agendo, quod imperabatur; toto conatu applicuit mentem litteris primum humanioribus, inde philosophiae, ac postremo Theologiae. Huic praesertim scientiae, quae res divinas exagitat, efficacissimam dedit operam; utpote a qua speraret, se formandum hominem, quales ad ardua in salute animorum ministeria suos postulabat Societas. Praestantia tot juvenum ingenia, ibi convenientium ad eandem scientiarum laudem, sibi mutuo aemulationem acuebant. Id profecto satis fuisset pudibundae Joan-

nis

nis indoli, ut ad proposita studia ingenti conatu incumberet. Altius tamen cogitationem erigebat, et quanto purius, eo acrius habebat incitamentum in obedientia peragenda. Propterea nullam diei particulam aut otio terere volebat ignavus, aut inanibus colloquiis, ut prona solet esse juventus, concedere. Theologicum abrupit curriculum, designatus pro grammaticis elementis Magister in Vallisoletano Collegio: cujus temporis ad eas gentes peracti nihil ad nos devenit, nisi quod mirabili animi demissione, cum coquus ad longum tempus forte deficeret, rei culinariae libentissime intendit: facto nimirum probans, mundi pompam sincere sprevisse, qui ad ejus honores natus videbatur. De christiana, et litteraria puerorum institutione, nihil dubitamus, eisdem tunc usum artibus, quas adhibuisse videbimus, cum rhetoricae dicemus Magistrum. Post biennium rediit Mexicum, atque eadem, qua prius, intentione advertit animum ad Theologica studia, nihil agens, nihil cogitans, nisi quae praesentis erant occupationis. Felix tandem huic mentis intentioni respondit eventus: nam cum de more pericula subiret, probatus inter primos a Magistris, laudem, et honores consecutus est. Inde ad Sacerdotis dignitatem evectus, miro fervore comparavit animum, ut primam Deo victimam ad sacras aras offerret. In eo constitutus gradu, tempus jam erat, ut ad poenitentiae tribunal Minister accederet; sed ecce insurgit non saepius audita difficultas: nam plura de morum scientia legerat qui-

quidem in libris; quid tamen sibi vellent ea nomina, nihil omnino intell.gebat. Nimirum in molli educatione, comi, et festiva indole, culto ingenio, atque egregia corporis constitutione, virginalis integritatis florem nunquam coinquinaverat; neque vero in notitiam venerat de contrariis tam venustae virtuti criminibus. Quam digna Deo fedes, et chara sponso anima, qui pascitur inter lilia? Prius ergo quam in tali ministerio sederet judex, opus habuit erudiri, quid, hac in re, misera ferret mortalitas, quid a malo daemone, quid ab aliena licentia, quid a carnis illecebris vexaretur. Neque propterea fuit minus indefessus in illo perarduo ministerio: nam cum esset charitate in animorum salutem eximius, ac dulcissima praeditus natura; facile didicit sapienter consulere *Sacramento* quod ministrabat; suavibusque cohortari verbis, atque ad bonam frugem perducere criminibus obnoxios. Et cum ita natura comparati simus, ut, plagas nostras aperturi perito Medico, malimus ad suavem, et benignum, quam ad asperum, et superciliosum accedere; ingentem procurandae alienae salutis messem sibi Joannes gaudebat albescere.

Magno cum fructu animorum vocaverat his laboribus et annum Mexici, et alterum Angelopoli ad Sancti Spiritus Collegium, quo missus fuerat, tertio probandus in pietate, de more Societatis; cum ad rhetoricam externis pueris tradendam, Mexicum remigrare imperatur. Hoc munus juventutem erudiendi, quod Lojola tanti aestimabat, incredibili suscepit ardore. Nihil dubita-

bitabat, rem esse momenti maximi, quibus ad virtutem incitamentis, quibus ad civilem societatem praeceptis instituerentur, qui post annos aliquot rempublicam Mexicanam efficerent. Atque ut erat indole actuosa nimium quantum, et efficaci, nulli diu, noctuque labori parcebat, dum aliquo posset pacto puerorum sibi commissorum utilitatem promovere. Nec id sane de profectu duntaxat litterario: nam et sacris lectionibus, et salutaribus monitis de virtutis decore, de fluxarum rerum contemptu, de beata aeternitate, curabat solicitus aetatem illam flexibilem ad coelestium amorem allicere. Pueris charissimus ob castam dulcedinem, ac Superioribus probatus ob locatam optime industriam, annum totum in eo munere laboriosum exegit; in quo diuturnior fortasse duravisset, nisi Provinciae Praesidis imperio ad tirocinii Ministerium vocaretur. Si et muneris hujusce naturam, et Joannis ingenitas dotes, ac studio comparatas virtutes, attente quis animadverterit; sane dixerit, nec muneri magis idoneum hominem, nec homini munus dari potuisse convenientius. Pro erudiendis ibi tironibus ad societatis mores, postulabatur homo virentibus annis, quem taedio solitudo non afficeret; quem singularis modestia insigniret; qui peculiaribus, atque absolutum sui ordinis hominem constituentibus clareret virtutibus; qui verbo, et exemplo docere satis esset, qua via eundum in semita pietatis, in scientiarum periculis, in commercio cum hominibus; qui et pro animi scrupulis abigendis, et pro sub-

sublevandis afflictis, haud difficili esset, ac severa virtute; nec etiam ea conscientia, quae in nimis timidam declinat interdum; in quo denique praeter caeteras dotes, morum suavitas potissimum emineret. Atque is omnino erat Joannes; quod et anteacta ejus vita palam fecerat, et eventus affatim demonstravit. Ac ipsi quidem nihil ea solitudine dulcius, in qua dabatur, ut abunde vacare sibi, sic etiam consilio, et monitis homines instituere, qui postmodum e plantario illo translati, virtutum odorem per provinciam universam emitterent. Illum, tanquam suavissimam Matrem, tirones conveniebant, sive conscientiae timoribus angerentur, sive tetrae cogitationes illos opprimerent, atque ab incepto resilire compellerent: prorsus intelligentes, liberalibus verbis, consilioque se juvandos a Ministro, nec in eo trucem vultum imprudentis censoris inventuros. Quod siquem aut aetatis, aut conditionis, aut infirmae valetudinis causa, digniorem existimaret, in quem charitatis viscera praesertim effunderet; hunc ad se vocabat, blandius loquebatur, sermones varios miscebat, ac muneribus, ut pro eo loco, donatum curabat recreare. Quidquid subditi delinquerent, pro muneris gravitate reprehendere non sane praetermittebat; iis tamen utebatur verbis, quae vix erratum accusarent, nec errantem offenderent. Tiro quidam cum per hortos domesticos deambularet, ac pulcherrima poma conspiceret; ut erat aetate tantulus, ac vivido ingenio, teneri non potuit, quin pomum surri-

peret: casu vidit surripientem Minister e fenestra cubiculi; qui deinde cum occurreret puero, suavis haec dixit: *Scias, velim, pomi gratia terrarum orbem universum olim pessumdatum.*

Non removeri Ministrum ab eo munere, quod tanta cum laude, ac tironum profectu gesserat, postulavisset ipsorum utilitas; hominis tamen meritum exigebat, ut ad alios honores promoveretur. Angelopolitanum Divi Ildephonsi Collegium jubetur contendere, philosophiam publice traditurus: quod sane Magisterium adamussim ut impleret, mirum est, quanta mentis defatigatione insudaverit. Temperare sibi non poterat, quin ea, quae Majores imperarent, quamprimum, et quamefficacissime absolveret; nec propemodum satisfacere se illorum nutui credebat, nisi toto virium conatu intenderet uni rei efficiendae, quam habebat prae manibus. Adlaborabat nihil cessans in cubiculi secreto, quae postmodum a pueris conscribenda proferret in publico. Pro disputationibus illis intricatis, ac sterilibus, ad horum captum explicandis, patientissimus erat: et sive scholae tempore, sive in cubiculi quiete, facilem ipsis praebebat aditum, ut, quae vellent, interrogarent. Hortabatur blandus, monebat gravis, instabat, urgebat, muneribus alliciebat, ut ab intempestivis ludis abstinerent, ut aemulatione accenderentur, ut assiduam studio darent operam, aliquando intellecturi, quanto ipsorum bono mentem litteris exercuissent. Hisce monitis, et laboribus efficere tandem potuit, ut discipulos

ha-

haberet doctrina conspicuos, quorum duo praesertim, Antonius Corrus, et Josephus Melendezius, et honori postea Magistro fuerunt, et Societati ornamento. In publicis thesium propugnationibus modeste mansuetus aderat; atque efficacia rationis, argumentorum impetum repellebat. Quod siquis irae fervore ductus, liberiora verborum jacula intermisceret syllogismi rationibus; animum lana molliorem cum furor contingeret, vix enatus erat, manus dabat invictae propugnantis patientiae. De christiana sapientia, quam prae litteraria curabat discipulos edocere, satis diximus, cum rhetoricae Magistrum memoravimus: nihil enim, ajebat, prodesse litteras, quae Divini timoris fundamento non fulcirentur. Quae quidem omnia tanto fuere puerorum aemolumento, et publica civitatis laude celebrata; ut, absoluto philosophiae triennio, novum inchoare Mexici, superiorum imperio renuntiaretur. Immutavit urbem, sed non immutavit vigilantiam, et laboriosum conatum, eo tunc difficiliorem, quo molestius est, diuturno tempore, ac sudore per inamoenos campos incedere. Sed nihil homini arduum, qui quolibet, vilissimo etiam, ministerio bene impensum tempus aestimabat, si Superiori obsequeretur voluntati, sua posthabita, et omnino deposita. Id tamen eo secundo triennio commodius habuit; quod cum recens veniret ab iis tractandis ac sedulo percurrendis, quae denuo pueros nunc docebat; liberiori fruebatur tempore, ut pietatis exercitiis intenderet. Quae profecto exercitia

patebant aliqua; latebant sine dubio plurima: quod enim esset moribus perpetuo aequabilis, ad Numen Eucharisticum frequentissimus, in re sacra peragenda quotidie constans, in demissione assiduus, in subitis rebus animi sui motuum dominus, in familiari cum Sociis consuetudine modestissimus, in religiosa temporis distributione nunquam deficiens; quod talis, inquam, esset in publico, satis indicabat, inferiores non esse virtutes, quas solicita occulebat demissio. Voluisset haec, non audiri flagelli strepitum, quo carnem macerabat; sensit tamen olim discipulus inprimis charus, qui ad nos haec omnino testatus est: *Cum ferialibus diebus in suburbanum contendissemus, atque omnia, quibus equi adornabantur, in meo reposita essent cubiculo; noctu a me Joannes equi sui habenas postulavit, celeritatem causans, qua postridie mane parandus esset equitare. Post paululum ecce in ejus cubiculo magnum strepitum audio, accedensque pedetentim, habenas equi pro flagello ipsi esse intellexi.*

Vir optimae industriae, ac diligentiae in Magisterio probatus, onus aliud suscipere gravissimum a Provinciae Praeside imperatur. Joannes Guemezius Horcasitas, Revillaegigedi Comes, Praetor eo tempore Mexicanus, Jesuitam pro filio Praeceptorem flagitavit. Secundum philosophiae curriculum confecerat Joannes, aetate viridi, genere nobilis, doctrina inter primos, modestia clarus, virtutibus aliis eximius, efficacia praecipuus: proinde nihil anceps fuit Sociorum Moderator, hunc eligere pro tanto munere

ag-

aggrediendo. Et ille quidem serio animadvertit, quantum suis humeris pondus imponeretur: nam ut Societati futurum sentiebat honoris maximi, si res feliciter cederet; ita et non levis incommodi, si secus eveniret. Porro ubi longe deberet esse quaecunque gravis verborum reprehensio, nedum poenarum inflictio; quo pacto, secum ajebat, exigere possim, ut studio intendat puer nobilis, tot aliis cogitationibus distractus, tantisque delitiarum illecebris circumseptus? Agitabat animo, praeceptis imbuendum committi sibi ephebum, qui postmodum ad Hispanam regiam transferendus, a claritate Patris non deflecteret, atque ad primos posset honores conscendere. Meminerat etiam, quantum Polybius fecerat Scipionem, quantum Aristoteles Alexandrum. Haec omnia cum mente praevenisset, operi se accinxit; ac tantum valuit industria, et efficacia, ut, secreto devoratis incredibilibus laboribus, ex animi sententia res evenerit; isque tandem evaserit adolescens, ut processu temporum ad militares dignitates evectus merito sit. Is est Joannes Vincentius Guemezius Horcasitas, ad Hispanos olim Tribunus militum in legione, quam *Reginae* appellant; hodie Legatus Exercitus, et Regius Cubicularius; atque insuper his ipsis diebus a Carolo IV. Rege Augustissimo successor Patris, longo temporis intervallo, ad Mexicanos Praetor destinatus. Faxint Superi, quod credimus, ut Praetorem Patrem superet prudentia, et felicitate Americanus filius apud nos altus, atque educatus!

Quo toto tempore hunc Villavicencius instituit, ut unam Dei quaerebat gloriam, refugit prorsus intrudere, atque immiscere se quibuscunque aulae negotiis; nec ad Praetoris congressum admitti se unquam petiit, nisi aliquando exigeret urbanitatis ratio.

Hoc feliciter cum functus esset officio, Provinciae Procurator eligitur; Superioribus probe noscentibus, hominem eum esse, cujus inter dotes id erat eximium, omnia bene, atque eleganter agere. Ille tamen, cujus animi demissioni solemne semper fuit, ad quodcunque munus vocaretur, vehementer in silentio cordis angi, seque inhabilem calumniari; reluctans licet, patienter tamen obtemperandum duxit Superiorum voluntati. Atque incedendum illi via erat, quam nunquam protriverat: tractandum enim de segetum messe, aliisque campestribus; exigendae pecuniarum rationes a praediorum administris; intendendum coemptionibus, et venditionibus; ministrandae omnes impensae, quae Provinciae universitatis erant, pro Moderatoris, duorumque comitum cultu, victu, atque itineribus, ac pro Sociis ab Europa adventantibus; conveniendi plures, quibuscum erant assidua negotia; proindeque fere vivendum extra cubiculi tranquillitatem. Id autem potissimum Joannem deterrebat, quod sui erat renuntiare homines, qui jus dicerent ad pagos aliquos, quorum Duces, Hispani Optimates, a Generali Societatis Praeposito impetrarant, ut ipsorum fundos, *feudaque*, ut vocant, in orbe illo novo posita, Me-

xi-

xicani Socii administrarent, ac Dominorum auctoritate idoneos homines, exercendo juri praeficerent. Quanti pro fungendis hisce muneribus candidati? Quanta in conferentem odia: cum plures peterent, quod uni duntaxat, eique digniori conferretur? Sane credebat Joannes, omnino sibi defuturas vires ad hujusmodi exercendam procurationem. Sed qui Omnipotentis praesidio ad obedientiae gloriam in omnibus nitebatur, eam suaemet indoli vim intulit, ut diem intentus totam, et de rusticis intellexerit, et de supputandis rationibus, et de praebendis impensis, et de necessariis emendis, et de conveniendis mercatoribus. De Judicibus pro pagis illis, quos memoravimus, imposuit sibi legem, nulla unquam ratione violandam, ut eos eligeret, quos digniores arbitraretur; omnino posthabitis etiam Procerum officiis, qui aliorum partibus faverent. Iis tamen liberalibus ad omnes erat verbis, eaque suavitate sermonis, ac rationum pondere, quos non elegerat, repellebat; ut nemo esset ullus, qui se se contemptum existimaret.

Februario mense, anno ultra millesimum septingentesimum quinquagesimo septimo, ab hoc officio removetur, jussus proficisci Generalis Praepositi Legatus, qui Collegia transmarina ipsius auctoritate recenseret. Ut Provinciae Praeses ad ingentes alias occupationes, bis in triennio Collegia obire tenebatur ex munere; pro distantibus immenso spatio mittebatur alius eodem jure, ac potestate. Viam arripuit Villavicencius ad Cubam insulam ab urbe Mexico mil-

lia-

liaribus ad mille et ducenta circiter. Havanam tenuit, ubi Sociorum domum ex muneris praescripto visitavit; atque inde in eadem insula Socios Portus Principis; a quibus mare rursus ingrediens, in Continentem renavigavit ad Campechienses; et ab his transivit ad Emeritenses non nimis longe positos; post quos incredibili viarum salebrosarum difficultate ad Goathimalenses; postremo ad Chiapenses. Qualem se gesserit in hoc adimplendo munere, Sociorum vox una erat in sex illis Collegiis, qui sibi mutuo gratulabantur, et peculiari beneficio testabantur se Numini obstrictos, quod homo ad eos venisset in spiritu dulcedinis, cujus in sermone, atque opere nullus apparebat ex iis affectibus, qui corruptam mortalium naturam affligant. Audiebat placidus; loquebatur hilaris; imperabat demissus; nihil novi juris instituebat, cum satis esse diceret, si constitutae jam leges observarentur. Ubi occurrendum malo esset, agebat prudenti fortitudine; semper tamen lenitati, quam séveritati propior. Neque quod maximis distineretur occupationibus, cessabat idcirco a bono animorum procurando. Goathimalae dum moraretur per dies esuriales, ad multam diei partem dabat aures expiandis criminibus in poenitentiae tribunali. Eodem loci Orator fuit invitatus, qui Divi Josephi laudes in templo diceret; ac sane non modico Sapientum plausu auditus est. Ita conciliato sibi et Sociorum, et externorum amore, ac reverentia; ingenti celeritate iter fecit milliariorum ad qua-

ter

ter mille propemodum, ac Mexicum remigravit. Opportunus advenit: nam per id temporis vita functo, qui a secretis fuerat Augustino Cartae, Provinciae tunc Praesidi; vacuum impleturus officium accersitur. Erat Socius a secretis, cui, super alia, incumbebat etiam cuncta digerere, quae de Provinciae universae cognitione ad Generalem Praepositum mittebantur. Inde, quanquam Joannis decessor non vulgari polleret rerum usu, ac diligentia; cum tamen ad menses aliquot jacuisset lethaliter, plura superfuere inordinata; cujus profecto mali non leve fuisset incommodum, nisi homo efficacia maxima successisset. Hic enim, quidquid sibi erat virium, ardoris, et celeritatis in rebus instantibus gerendis; totum hic ex animo adhibuit, ut festine suppleret, quae diuturno tempore afflicta decessoris valetudo tardaverat. Comitem pro itineribus Joanne aptiorem Moderator invenire non posset: quippe ille ad viarum incommoda patientissimus, et hilari semper vultu erat; et quaecunque indiceretur profectioni hora, nunquam non paratus; et sive Sole, sive pluvia pergendum, nihil repugnare solitus, nihil admodum expostulare. Ubi ad recensendum Collegium pervenissent, fama de Joannis indole dulcissima Socios omnes ad ipsum trahebat; cujus quidem urbana, et liberalis consuetudo, nullo partium studio, locum dabat accedenti cuicunque sive animi causa, sive consilii. Quidquid in re subita decernendum, quidquid novi juris instituendum, Joannis audiebatur sententia: ut pro-

profecto dicere nihil dubitemus, non levem oneris partem a volente Moderatore ablatam, in suos humeros illum transtulisse.

Paulo plus anno his intenderat, cum, novo renuntiato Provinciae Praeside, Joannes dicitur Rector pro Vallisoletano Collegio. Pauci fortasse venerunt unquam ad gubernationem capessendam, quos publicum desiderium aeque ac Joannem Villavicencium postularet; ut etiam pauci, quos tanto Subditi amore prosecuti sint, postquam eorundem rationem gubernandi experimento probaverint. Comparuit ille ad munus exercendum, virtutibus excellens omnibus, quae in perfectissimo quaeruntur Moderatore. Nec propterea videbatur elatior; nec ullo externo indicio facile dignosceres, hunc esse, qui imperaret; illos, qui obedirent. Urbanum, comem, et suavem cum sibi subditis totum se praestabat, et haberi maxime volebat in familiari consuetudine, tanquam unus ex illis; ut videlicet amorem sibi compararet: non certe aucupandae gloriae causa; sed quo possent ipsum majori cum fiducia, quotiescunque res posceret, convenire. Attente invigilabat, ne quid omnino cuiquam deficeret, quod religiose pauperem deceret hominem. Ut quisque in morbum incidisset, nulli parcebat curae, ut, quolibet opus esset aut medicamenti, aut cibi delicatioris auxilio, nulla adhibita mora, praestaretur. Maximopere continens in loquendo, studebat potissimum, ne quem verbo offenderet, ne bonum alicujus nomen audiretur laedere; probe

in-

intelligens, eo minus credere se imperanti subditos, quo facilius illum prolabi lingua animadverterint. In jubendo, suavibus verbis utebatur; et modestum, nec imperiosum exhibebat se se: ut amicus ab amico petere, nec Superiorem a subdito videretur exigere. In disciplinae custodia nihil eorum praetermittebat, quae praescriptionum ratio flagitaret: harum violatores, atque in munere commisso sibi oscitantes reprehendebat sine dubio, cujuslibet illi essent ordinis. *Noxa enim*, *ajebat*, *eo foedior est*, *quo praestantior*, *qui peccat*. Eam tamen reprehensionis verbis miscebat dulcedinem, ut facile appareret, non in peccantem, sed in peccatum se dicere. Ita nullus unquam expostulavit, in hujusmodi officio severe illum pronuntiasse, aut supercilio conspexisse, quem reprehendebat. Praeibat exemplo ad omnem religionem, et pietatem, ad ea praesertim, quae sive ex Societatis constituto, sive ex Collegii consuetudine, ibi gentium exercebantur. Mane pro meditationis hora quamfestinus e lecto surgebat; cui postquam intenderat, rei sacrae peragendae solicitus erat. Confessionibus audiendis, quae pro externis aegrotis frequentissimae petebantur, quanquam et muneris, et aliarum non levis momenti occupationum causa non teneretur intendere; ultro tamen sibi legem imposuerat, in hoc etiam laborioso ministerio subditos adjuvandi, suasque vices, recisis aliis omnibus, quibus forte attenderet, expectandi. Neque tamen id per diem solummodo; noctu etiam, tametsi e le-

lecto consurgere, aut omnino somnum posthabere opus esset, paratissimus erat semper, tum ut periclitanti animorum saluti consuleret, tum ut Sociorum operam allevaret. Sollicita curabat diligentia, ut munditia in templo, in communibus domus officinis, et universim in toto Collegio resplenderet. Quod sui erat, nitorem, et elegantiam amabat maxime; non illam sane foemineam, qua munduli quidam placere mundulis vehementer expetunt; sed quae nihil dedecet religiosum virum, cui pauperis utique sunt indumenta, et supellex; illa tamen polita, et nitida gaudet esse. Offendebatur vel ad salivae conspectum in cubiculi solo: proinde habebat parata vascula, quae ingredientibus ad se, politissima urbanitate proferebat, si spuere fortasse occurreret. Quod siquis esset, quicum familiariter uteretur; aperte fatebatur, id se facere, quoniam immunda in suo cubiculo videre non posset. Nec profecto negaverim, id immodici nitoris (ut miseri sumus mortales) naturae vitium esse. At enim is idem homo ad fastidium usque nitidus; cum de exercenda charitate ageretur, nihil verebatur ad olidos, ulcerosos, et horrido quocunque morbo afflictatos accedere. Neque solum ad sacrum poenitentiae tribunal charitate ardentem se praebebat; explicabat etiam e suggestu christianae fidei rudimenta; solabatur moerore oppressos; pacem inter discordes conciliabat; consilium exquirentibus praesto erat. Ad haec, misericordia in pauperes adeo fuit eximius, ut stipem mendi-

can-

cantibus, modo haberet vel obolum, nunquam denegaverit. Quod in ejus adventu percommodum aedificabatur Collegium, tam diligenti sedulitate, actuosaque opera perducere curavit ad exitum; ut triennium suum non confecerit, quin absolutum omnino viderit, et Socios in illo primum collocaverit. Et erat hoc aedificium firmitate, amplitudine, ac majestate nobile, quo vix ullum habebant magnificentius Novohispani Socii. Accedentes excipiebat atrium amplitudine quadratum, undique porticu circumcinctum, ubi et scholas grammaticis, et gymnasium philosophis, et vastissimam aulam pro publicis thesibus, et alia plura domus commoditati necessaria conspiceres. Elegantis operae scala ducebat ad superiores aedes affabre instructas cubiculis, in quibus nihil desiderares, ut Socii omnes quamcommodissime locarentur. Sacellum erat domesticum pulcherrimae structurae; pro quo magnifice decorando, unciales argenteos mille, ut etiam pro Sacrificiis inibi celebrandis, vestimenta quinque apprime concinna phrygianis laboribus donaverat Nicolaus Monterus, ad Limenses natus, Michoacanensis Ecclesiae Canonicus, vir ut genere, sic et pietate nobilissimus; cujus munificam, nec satis unquam rependendam, in Socios benevolentiam omittere hoc loco non credidimus. Tantis ornatus virtutibus, cum omnia sui muneris officia fideliter adimpleret Villavicencius; facilis est conjectura, quanti Rectorem fecerint et pro re domestica Socii, et pro bono publico externi; quantisque votis pro-

proficiscentem desideraverint, cum pro insequenti triennio superior ad Guadalaxarenses missus fuit.

Continuo in illa deliciarum, atque ingeniorum feracissima urbe virtutes ejus emicuere; ac Pontificis, Regii Senatus, et civitatis universae benevolentiam homini compararunt. Vix tamen ad quinque menses tanto viro fungi licuit incolis: nam Provinciae Mexicanae comitiis Mexici convocatis, Matritum, Romamque Villavicencium immisere Socii, qui in utraque aula communia negotia procuraret. Datus illi comes individuus pro immenso itinere Joachimus Insaustius, optimus ille Cantaber, Mexicanorum studiosissimus, qui postquam apud nos vel a pueritia fuerat educatus; postquam doctrina, et virtutibus (prudentia maxime) in orbe illo innotuerat; ab eo tandem pulsus, aegritudine animi contracto morbo, Mexicum suspirans in exilio ad Corsos occubuit. Erat Joachimus morum puritate singularis, fide sincerus, charitate in Socios mirabilis, animi demissione conspicuus, atque in gubernando tantis insignis dotibus, ut vir quidam fide, ac sapientia inter primos, haec ad me testatus olim sit: *Cum casu diversarer in Collegio, quod regebat Insaustius, visum mihi profecto fuit in ea tempora devenisse, cum Ignatius Lojola Societatem moderabatur*. Liceat hoc amoris, et venerationis debitum signum tanti hominis memoriae consecrasse. Hoc igitur comite proficiscens Mexico Joannes, longissimum iter aggressus est, primum ad Hispanam Regiam,

giam, inde ad Christiani orbis Caput, urbem juxta pulcherrimam, ac sacris monumentis percelebrem. Ubique liberaliter, et cum honore acceptus est, pro tanti viri merito, quod in fortuita etiam salutatione latere non poterat; sed ad Hispalenses praesertim, vix allatus fama est adventus Villavicencii, cujus utique noverant proximam necessitudinem cum primariis urbis familiis; tota convenit nobilitas ipsum salutatura. In expediendis ad utramque aulam negotiis, mira fuit tum celeritate, tum efficacia; humanissimam adhibens urbanitatem ad omnes, quibuscum agere debebat ex munere. Destinatum immensum iter executus est curiositate vere digna sapiente: in unaquaque civitate quaerebat occasionem pervestigandi sagaciter et incolarum ingenia, et religiosos ritus, et rei publicae gerendae rationem: quae quidem omnia tam perfecta cognitione calluit, ut vir maxime eruditus me coram asseveraverit: se de rebus italis adamussim comprobata vidisse oculis, quae pridem a Joanne Mexici narrante cognoverat. Nullum est Romae templum aliqua pietatis nota famosum, nullum quovis nomine aut sacrum, aut profanum monumentum, ubi et religiosos, et curiosos oculos peregrinus ille non tulerit. Huic tamen desiderio cuncta lustrandi, charitatem, et moderationem antetulit: quamvis enim Superior esset, ac posset longiuscule in quibusdam urbibus detineri, aut etiam ad proximas divertere; ubi praestantius aliquid noverat conspiciendum; nihilo tamen secius et fovere pieta-

 tem,

tem, et pascere oculos omittebat libenter, ne molestia Insaustium afficeret: qui sane ut amabat Mexicani coeli temperiem, reditum urgebat recta, et quamcelerrime.

In hanc patriam urbem cum tandem remeasset, atque exerciti muneris negotia perquamfestine expediisset; Operarius in domo Professorum destinatus est, ad eosque relatus, qui Provinciae Praesidi erant a consiliis. Neque vero graves muneris hujusce occupationes, nec ante habitorum amplitudo, impedimento fuerunt, quominus et praedicando Dei verbo, et audiendis confessionibus adlaboraret ferventissimus. Atque eo magis enitebat demissa tanti viri pietas in operosis ministeriis, quo meriti fuerat clarioris in dignitatibus exercendis. Attamen et praesentes tunc labores, et ampliora sine dubio superventura illi munera, et ipsam hominis vitam arripere nobis venit repentina calamitas. Septimo enim Kalendas Julias, anno hujus saeculi supra sexagesimum septimo, decreto Regio exulare Mexicani Jesuitae omnes imperati sunt. Joannes, cui nihil antiquius obedientiae laude, sanctionem Regiam veneratus est; quin vel minimum a consueta vultus tranquillitate deflecteret. Haec hominis perpetua serenitas, comparata diuturnis meritis auctoritas, et communis ipsi praestita sociorum benevolentia, juvere non parum ad exhilarandos afflictorum animos. Assidua per eos dies indûcebat colloquia de Italiae cultura, et pulcritudine, ad quam contendere dicebamur; de gentium indole, ac

mo-

moribus; de sacris pluribus, ac profanis, quae lubenter per eas regiones monumenta conspexerat. Quorum sermonum eam profecto arbitror causam, ut Italiae venustate allecti, patientius toleraremus a Mexicanis finibus amoveri. Tres amplius menses inter ejusmodi comitatis officia demoratus fuerat ad Veracrucenses, navigiorum opportunitatem expectans; cum, inopinata urgente febri, de mortis proximo adventu, quem jampridem cogitatione volverat, monetur a Medico. Utique post rite suscepta postrema Ecclesiae remedia, paucos intra dies anima illa suavissima excessit e corpore, octavo Kalendas Novembres; cujus in vinculis duraverat ad octo ferme annos ultra quinquagesimum. Tanti hominis exuviae jacent ad illius portus Paroeciales Aedes. Ea pauca de virtutibus ejus memoravimus, quae nemo erat ullus, quin videret; brevi tamen dicemus: hominem illum fuisse in rebus omnibus perfectum, religiosis legibus obsequentem, civem utilissimum, Magistrum sapientem, Superiorem prudentem, Operarium indefessum, in familiaritate fidelem, et suavem, in consuetudine amabilem, in decernendo cautum, in agendo efficacissimum, perpetua aequalitate mirabilem, ab semet contemptum, et nihili habitum, ab omni hominum ordine plausibus exceptum; qui transegit vitam, Deo quaerens gloriam, hominibus aemolumentum, sibi laborem. Et hancce credimus verissimam imaginem Joannis Villavicencii, cujus memoria Mexicanis aeternum erit in delitiis.

ANTONIUS CORRUS.

VEracrux maritima civitas est in Nova Hispania, undevigesimo latitudinis gradu sita ad Septemtriones: exigua quidem, si capita incolarum consideres, qui ad octo millia circiter anno hujus saeculi sexagesimo secundo numerabantur; magna tamen ingentis commercii nomine: unus enim est portus ab Hispania vetere ad illud olim Moctezumae imperium adventantibus. Arenosa, et sterilis ora est; delitiis tamen affluit e propinquo importatis. Ad milliarium ferme prominet arx in medio mari, cui nomen *Sanctus Joannes de Vlua*; nec in America universa validiorem inveneris. Ab solo nimium humido, et perpetuo Solis ardore coelum est insalubre; ut illac peregre adeuntium appelletur sepulchrum. Atqui adolescunt indigenae robusta valetudine, atque ut alibi, passim videntur mortales insenescere. Id laudis indubitatae, quod dotes ibi gentium primariae sint honestas, bona fides, urbanitas; atque insuper liberalia nascantur ingenia. Hoc utique nomine gratulandum censeo Veraecruci, quod postremis hisce temporibus Mexicanae Sociorum Provinciae dederit Clavigerum, Alegrium, Perezium, et Corrum; quorum binos illos, recens vita functos Bononiae, inter Sapientum lacrimas tumulavimus; tertius viridi aeta-

aetate, sed merito plenus virtutum, quas tempore suo describemus, ante annos fere sexdecim ad Superos evolavit; quartus is idem est, cujus modo texere aggredior elogium: quod opus incipio Idibus Novembris; quo nimirum die ante annum primum, et vicesimum ad beatam ille immortalium sedem transivit. Habuit Antonius Parentes Ildephonsum Gomezium Corrum, et Annam Gomeziam Davilam, qui Cordubam in Nova Hispania incolebant juxta famosum Orizabae montem, satis notum oppidum, tabacci, ac sacchari commercio; sed cum casu ad tempus aliquod in Veracrucensem portum descendissent, ibi puerum, cui datum in lustrali fonte Antonii nomen, Anna enixa est, quarto Idus Januarias, cum saeculi praesentis annus numeraretur quartus, et vicesimus. Ildephonsus gente pervetusta Burgis ad Vardulos erat oriundus; paremque trahebat Anna nobilitatem ab sanguine claris, inter primos, qui Cordubam fundavere Coloniam: quorum genus illustrius, quam acceperant, fecere posteri, nullis in patria non insigniti honoribus, et cum lectissimis extra patriam familiis matrimonio copulati. Ambo fuere christianis moribus, fortunae muneribus copiosi, atque omni tempore de Republica benemeriti, cum magnam quotannis bonorum suorum partem egenorum auxilio, virginibus aut Deo consecrandis, aut nuptui tradendis, aliisque communis boni operibus destinarent. Ita meruere a Deo matrimonii fructum, a quo, virtutibus egregio, magis, ac magis il-

lustraretur familiae nomen. Antonius ergo ad Paroeciales Veraecrucis aedes baptismate delibutus, Cordubam transvehitur, Parentum domicilium, more nobilium, ut par erat, inter cognatos instituendus. Jam a prima aetate facillimae fuit indolis ad pietatis disciplinam, quam a probis edocebatur Parentibus. Inde, infans etiam audiebat, sequebaturque fidelis caelestes impulsus: atque ea demum modestia, sensuum custodia, morumque innocentia pueritiam exegit, ut suspicientes illum aetate suppares, sanctum appellare consueverint: quod etiam invaluit nomen apud germanos fratres, ac domesticos omnes; qui sane, quoniam testes perpetui sunt humanae fragilitatis; de sibi aequalium, atque intime notorum virtute dicturi, severissimi solent esse censores. Foeminae Cordubenses beatam appellabant Annam, quae Antonium peperat; et quotiescunque suos filios corrigere opus erat, illum iis objiciebant, tanquam optimum pietatis exemplar. Nunquam visus est illis recreari, quibus puerilis aetas vacare solet jocis insontibus: quo enim tempore ad jocos ejusmodi fratres diverterent cum aequali conditione pueris; ille in Sacrario domestico mira voluptate immorabatur, sive Sanctorum imagines in ara sua parvula locaret, sive pium legeret elata voce librum, audiente semper avia, praeclarae pietatis foemina, quibusdamque aliis domesticis, tum a puero invitatis, tum ultro venientibus. Multo mane ad Franciscanorum templum genibus innixus, demissis oculis, ac totius corporis concinna modestia

destia sacris intererat. Omnino sibi maturaverat Divina charitas dispositi cordis possesionem, atque in tantulis etiam annis inspiraverat sanctum illud corporis odium, quae sincerae virtutis solet esse significatio. Ardebat jamtunc desiderio affictandi se se, ac patientis Jesu signa in suo corpore portandi: eaque propter a domestico quodam mancipio impetravit, ut vellet, remotis arbitris, corpusculum ejus flagellare. Saepius repetita ejusmodi maceratio, quadam forte nata suspicione, in notitiam venit Parentum; qui, punito ad meritum mancipio, insontem puerum immodice patiendi avidum cohibuere.

Ad annum jam pervenerat aetatis decimum, cum Angelopolim missus est, ut in formanda scripturae manu, primisque Arithmeticis elementis institueretur sub Praeceptoribus ex sacra quadam familia Fratribus, quos ibidem Bethleemitas nuncupant. Atque is erat Cordubae bonus odor Antonii, ut haec testetur quidam tunc temporis ibi degens: *Equidem cum vidissem puer e paterna domo egredientem, sine dubio credidi, propterea illum a Deo vocatum ad urbis conspicuae theatrum, ut qui nomine Antonius erat, foret aliquando prodigiis.* Ad puerorum illud contubernium Angelopolim translatus, is fuit in adimplendis, quae sui muneris erant, ut castigationem vel levem nec habuerit unquam, nec meruerit. Hanc laudem, quam ex ore habemus fide clarissimi Sacerdotis, ibi Antonio contubernalis, egregiam sane dicet, qui intellexerit, immensam esse in ea schola punitionum segetem;

 ubi

ubi et plura pueris imponuntur, et noxae quaelibet severe animadvertuntur: nimirum, ajunt, ad irrequietae aetatis retundendos impetus. Transiit inde ad Divi Hieronymi Seminarium, grammaticae, ac rhetoricae daturus operam; ubi et honestissimi pueri nomen, et alumnorum omnium venerationem, et Praeceptorum benevolentiam conciliare sibi non distulit. Illico Sacerdotem a confessionibus eum sibi delegit, Socios inter ad Sancti Spiritus Collegium immorantes, quem vitae perfectioris hominem opinatus est; id enimvero ponderans ab exteriori modestia. Ita conscientiae Rectores, unum post alium, functus est Franciscum Luzenam, Joannem Majoram, Mauritium Flinezium, primae notae viros in Mexicana Provincia: quorum certe regimine ad novam animi perfectionem conscendit. Legebat quotidie librum, qui de christianis moribus, et rebus divinis ageret; nonnullo spatio temporis ad sacellum domesticum recedebat, sacris meditationibus vacaturus; octavo quoque die in poenitentiae tribunali sordes illas abluebat, quae justos etiam commaculant; et suavissima pietate panem accipiens Eucharisticum, semet ad ulteriora in semita virtutis praelia roborabat. Nihil interrupto conatu sensus custodiebat, ne videlicet animus ad humanas cogitationes diverteret; oculos aut clausos, aut humi fere defixos; linguam silentio fraenatam, raro data loquendi facultate, eaque solummodo, quae vel ad litteras, vel ad caelestia spectarent; aures obseratas omnino sermonibus, qui

mi-

minus honesti essent. Nunquam ab ejus ore verbum excidit, quod posset offendere castam gravitatem; neque vero fuit ullus tot inter, ut est illa aetas, incautos juvenes, qui tale quidpiam, Antonio praesente, auderet proferre. Tantam profecto virtus, etiam in teneris, auctoritatem sibi comparat! Capite semper aperto incedebat; sabbato quoque jejunium sibi imperaverat; macerabat cilicio, ac flagello ita frequens, atque in se crudelis corpusculum, ut, secundo studiorum anno vacantem cum gravis corripuisset infirmitas, horruerint oppido, qui tincta sanguine saeva illa instrumenta repererunt. Nec his contentus, quo nunquam ab rerum divinarum memoria recederet, magisque ac magis, ad currendum virtutis iter, semetipsum excitaret; jam ab ea tenera aetatae constituit, quotannis intendere commentationibus ab Lojola propositis; pro quibus destinata domus erat in Spiritus Sancti Collegio. Assiduus iste conatus animum ornandi virtutibus, nihil illum ab studio evocabat, mentem etiam, qua poterat, excolendi. Nota erat omnibus diligentia, qua suis libris incumbebat, de rebus litterariis Magistrum rogabat, cum condiscipulis conferebat; ut dignus fieret aliquando, qui ad Jesuitas adscriberetur; ad quorum familiam ita se vocatum sentiebat, ut jam tunc voto se obstrinxerit, id ipsum totis viribus procurandi. Per id temporis in aestuantem incidit febrim, atque inde in manifestum vitae periculum: qua in aegritudine pietatis exempla dedit nihil iis inferiora, quae florente

va-

valetudine dederat. Mirae fuit modestiae, ac tolerantiae in perferendo, religiosa verba doloribus opponens, voluntati Divinae subjectus humiliter, et paratus omnino, si vocaretur ad Christum Judicem. Obstupuere alumni ad tam insignia perfectionis exempla; quae sane apud quemdam ex illis eo valuere, ut immutaverit prorsus anteactae vitae semitam. Erat ille turbulentus admodum juvenis, cui perantiquum erat, facetis cavillationibus, et sannis, aliorum exercere patientiam. Sed cum attente contemplaretur inventa apud innocentem aegrotum ea, quae diximus infecta sanguine, macerationis instrumenta, tali Deum efficacia loquentem sensit intrinsecus, ut, pro criminibus expiandis, continuo Sacerdotem accesserit illum ipsum, qui Antonium audiebat; quem nimirum Antonium imitari plane constituit. Utique ab illo die frequens erat in Sacerdote conveniendo, cui se totum aperiebat, credebatque; pietatis operibus fervidus insistebat; nunquam ad ingenium, et cavillationes rediit; ac mirantibus omnibus, virtutum exemplar in illo Seminario brevi devenit.

Recuperata valetudine, atque exacto rhetoricae curriculo, tentavit Antonius Parentum voluntatem, ut se Jesuitam paterentur; cujus voti, quod meriti loco aperuit, reus erat. Extimuere illi, ne tale propositum pii quidem, sed incogitantis fervoris esset; qualia solent proposita in illa foveri aetate: rati proinde consultius esse, si rem tanti momenti diuturniori maturitate perpenderet; differre consilium per-

sua-

suaserunt, donec philosophiae studuisset. Pronus ille semper ad obediendum, ad Divi Ignatii transivit alumnos, ut philosophicis cognitionibus daret operam sub angelico viro Joanne Villavicencio, digno tanta innocentia discipuli Magistro. Eodem tenore vitae, quo fuerat grammaticus, duravit philosophus, nisi quod sublimiores attigit gradus perfectionis. Domestici sacelli curam cum illi crederet seminarii Rector, immorari obtinuit in proximo cubiculo, angusto quidem, sed a caeteris remoto: quo nihil accidere commodius potuisset tum ejus amori erga Numen Eucharisticum, tum etiam ipsius christianae demissioni, qua ductus amabat maxime sine arbitris esse ad consueta pietatis, et macerationis exercitia. Semotus ibi ab inquieto alumnorum commercio, puerilibusque coetibus, in quibus, ut minimum, otiose teritur tempus, nobis a Deo concessum, ut aeternitati laboremus; diem integrum, et noctis partem in litterario studio, fervidis precationibus, lectioneque de rebus divinis, ordine distribuebat. Ab eo dulcissimo latibulo nunquam exibat, nisi pro iis implendis, quae Seminarii constituta exigebant: per vias urbis raro videbatur: in cultu corporis, pauperis instar se gerebat; ut pecuniosorum Parentum filium nullus certe dignosceret. Id enim vero, non quod illi negassent, sed quod juvenis uti nolebat data sibi facultate, ut, quibus frui vellet omnibus, abunde ministrarentur: quae sane facultas tum solummodo chara sibi erat, cum subveniendum esset alumni cujusdam indigentiae. Ita

Ita maximo inter condiscipulos honore habitus, magnique etiam a Magistro, et Superioribus aestimatus, philosophiae curriculum feliciter exegit; atque illico impetrato Parentum consensu, a Christophoro Escobario, Provinciae tunc Praeside, ad Jesuitas cooptatus est. Profectus Angelopoli, Mexicum ingreditur postridie Nonas Martias, anno saeculi currentis tertio, et quadragesimo; qui nimirum dies nigro subinde lapide scriptus fuit Sociis Mexicanis ob funestam mortem, satisque fama vulgatam, Nicolai Segurae, Professorum domus tunc Praepositi, Novae Hispaniae Oraculi, virique primi nominis ob egregiam pietatem, singularem doctrinam, ac diuturno merito comparatam auctoritatem. Hic eventus aliquantulum occupavit Escobarium, ne Antonii profectio expediretur; qui Mexici expectavit plus mense, nihil ad pulcherrimae urbis, nunquam a se visae, curiositatem distractus. Idibus tandem Aprilis tirocinium inchoare missus est: ac facile intelligitur, quali fuerit voluptate perfusus, cum se locatum videret in illa virtutum officina, quam votis ardentibus longo tempore suspiraverat. Continuo non tam progredi, quam volare incepit in via perfectionis, tum auxilio Sapientis Moderatoris, apud quem omnes animi motus patefaciebat quotidie; tum piarum exercitationum multitudine, quae vel remissam voluntatem excitare satis erant; tum etiam bonorum exemplorum copia. Et profecto nihil dubitandum, quin plurimum Deus illi faverit in silentio

so-

solitudinis, qui tanta liberalitate cum ipso se gesserat in Seminariorum strepitu. Id liquido constat, in illa domo tot juvenum ad perfectionem contendentium, ferventiores inter excelluisse Antonium. Nec ab hac vel minimum destitit fervoris laude, quo toto tempore vacavit et humanioribus litteris in eadem domo, et repetendae philosophiae in Divi Ildephonsi Angelopolitana, et Theologiae studendae in Mexicana sanctorum Petri, et Pauli. Complures iisdem fere verbis pronuntiant testes: fuisse illum ubicunque praescriptionum omnium observantissimum, in religiosa temporis distributione semper fidelem, in pietatis exercitiis fervidum, litterarum studio serio deditum, modestia clarum, silentio eximium, charitate praecipuum, in austero vitae genere nihil remittentem, secreti conclavis amantissimum, ex quo nunquam certe prodibat, nisi aut obedientia traheret, aut amor erga Numen Eucharisticum. Exeunte Septembri, anno saeculi vertentis quinquagesimo, ad Sacerdotium provectus fuit ab Emmanuele Rubio Salina, Mexicanorum Pontifice, cujus nomen ob insignia in universum gregem, et singularia in Corri Socios promerita, suavissimum cunctis est. Novus ergo Sacerdos, qui cum Magno Gregorio noverat, crescentibus donis, donorum etiam rationes augeri; longa precatione, atque inedia voluntaria comparaverat animum ad eam dignitatem suscipiendam. Proinde ab illo tempore accuratior admodum fuit in Dei voluntate investiganda, et superimpositis

no-

novis officiis adimplendis. Illo statim anno dedit operam Angelopoli pueris in grammatica erudiendis: quorum certe non minus mentem litteris illustrare toto virium conatu aggressus est, quam voluntatem ad virtutes instituere. Frequens erat in cohortandis illis ad pietatis amorem, in vitii turpitudine amplificanda, in persuadenda Confessionis, et panis Eucharistici frequentia, in cultu Mariae Virginis propagando; et quod potissimum Magistri est, praebebat se discipulis Christianae perfectionis exemplar. Assidue ad ipsos invigilabat etiam in illa intercapedine, quae laboris cessatio Praeceptoribus dabatur, pueris interea per circulos partitis, ad ea repetenda, quae in schola audierant. Neque tunc cessabat Antonius: modo hunc circulum, modo alterum conveniebat, ad emendanda quidem, quae ipsos non satis bene didicisse nosceret; maxime tamen ad impediendum, ne ad inutilia distraherentur. Ab hoc munere Mexicum remeavit, Theologiae curriculum exacturus: atque hic ex more dedit initium Confessionum ministerio, semper promptas offerens aures cuicunque ad ipsum accedere volenti. Neque domi duntaxat, sed foris etiam, si ad morti proximos in auxilium mitteretur; animo ad id semper libenti, sive illum ab studiis solitudine, sive ab somni quiete excitaret Superioris imperium.

Sacerdos tanto pietatis fervore insignitus, natus videbatur ad tirocinii Ministerium; quo missus fuit, vix confecto Theologiae quadriennio.

nio. Credidere Superiores, exactius virtutum exemplar tironibus, qui ad eas ibi informabantur, monstrari non posse. Neque perperam: primus enim erat silentio, primus modestia, primus humili gestu, non quidem adscito, sed plane ingenuo, primus ad matutinam horam meditationibus constitutam; cui sane flexis genibus in sacello domestico immotus intererat: neque fuit ullus tot inter juvenes firma vigentes valetudine, robustoque inflammatos desiderio perfectionem assequendi, qui Ministro diligentior esset in illa temporis religiosa distributione. Tres totos annos, et menses aliquot in hoc munere posuerat, cum grammaticam denuo docturus, contendere imperatur Durangum, urbem in nova Cantabria principem, ad nongenta a Mexico milliaria. Aequale tempus huic dedit Magisterio, Praefectus insuper Seminario puerorum. Atque horum quidem tum urbanae institutioni, tum profectui litterario indefessam dedit operam, solicito adhibens conatu et liberalia pro studio incumbentibus dona, et efficaces pro torpentibus otio monitiones, et blanda verba, et litterariam aemulationem, quae magni ponderis esse solet ingenuis pueris incitamentum; et quandoque (raro tamen) se poenas daturos interminabatur. Pro christianis moribus informandis, quod officii caput merito arbitrabatur, mane quotidie legi jubebat in schola librum de rebus divinis pertractantem; vespere de pietate in Reginam Virginum comparanda. Hortationes de istiusmodi rebus ingeminabat,

co-

eoque ferventer, ut audientes pueri dolore de male actis palam percellerentur. Quo tempore prandebant, mos illi erat, aut de christianae Fidei rudimentis, aut de boni civis officiis verba facere. Quotidie Missam celebrabat, alterique cum discipulis in Sociorum templo intererat. Cum his in schola vespere, noctu cum alumnis in Seminario, salutatione Angelica quinquagies repetita, Mariam Virginem precabatur. Somno deditis alumnis, visitabat cubicula; ne non praeocuparet, quae in constitutum ordinem possent accidere: cum autem periculum ultra non esse crederet, quod illi excitarentur; in charam solitudinem recedebat, ubi acerbe in semet insaeviens, corpus flagellabat, crudelesque ictus fervidissimis Divini amoris affectibus conjungebat. Attamen utcumque caute se gereret, pervenere tandem ad alumnos flagelli strepitus, qui deinceps observare accedebant, curiosi primum, mox obstupefacti, denique ad Magistrum imitandum commoti. Ac fuere nonnulli, quos adeo ad virtutem allexit exemplum, ut de moribus reformandis ad Christi legem serio cogitaverint, subinde frequentiores ad sacram confessionem accesserint; conscientiae Moderatorem Antonium ipsum elegerint, carnemque suam cilicio, flagris, inedia maceraverint. Cum post prandium octavo quoque die rus petentes comitaretur alumnos, non ibi ab rebus divinis omnino cessabatur: nam primum alternis vocibus piaculares globos Mariae Virginis percurrebant; quo facto, vacare illos, prae-

sen-

sente semet, honestae relaxationi patiebatur. Quotannis ad ineuntes ferias litterarias pro sacris dierum octo commentationibus, res aeternas tum ad alumnos, tum ad externos, quicunque audire vellent, e suggestu dicebat; quibus exactis diebus, datisque opportunis consiliis, ne, feriarum tempore superveniente, comparatum fructum amitterent; ipse recedebat unus ad optatam praedii solitudinem, donec in hujusmodi exercitationibus quatuor totas hebdomadas insumpsisset. Si cujus ex alumnis grave fortasse aliquod, ac pessimi exempli crimen ad ejus notitiam perveniret, confestim a tali peste liberum volebat seminarium: consultius judicans, unum resecare membrum, quam ad alia serpere contagionem. His, et aliis optimae gubernationis adminiculis videre obtinuit Seminarium aeque litteris, ac virtutibus floridum, ut etiam majori alumnorum numero, quam fuerat hactenus: fama siquidem perlato per Novam Cantabriam boni odoris nomine, ultro Patresfamilias immittebant suos filios, qui sub tanto Moderatore in re Christiana, et civili, et litteraria instituerentur. Deinceps philosophiam tradere jubetur in ejusdem urbis Collegio Sociorum; ubi a domestica puerorum cura jam liber, quidquid ab scholae occupatione supererat, bono urbis publico dabat in verbi Dei, et Confessionum ministeriis. Audiebat accedentem quemcunque, nihil discernens inter nobilem, et abjectum, inter pannosum, et splendide vestitum, nec hominem homini anteferens. Non inanem aucu-

pabatur gloriam, quod plures essent, qui ad se accederent; sed id toto animi ardore, ac diligentia curabat, ut quorum conscientiam regeret, maxime in pietate proficerent: pro quo adipiscendo, efficacibus utebatur hortamentis, ut commissorum criminum eos poeniteret; opportuna indicebat remedia, ne in posterum ad ingenium redirent; ac planum, qua poterat, virtutis iter proponebat. Diebus festis in carcerem ad vinctos, in nosocomium ad aegrotos, plerunque etiam in aliquod urbis Templum, de christianis elementis verba facturus, contendebat. Ad haec, quisquis de externis vellet in Sociorum Collegio Divinis ad dies octo meditationibus vacare; nunquam non promptus Antonius juvandis illis quotidiana de rebus hujusmodi oratione. Facile intelligitur, quantam in urbe conciliaverit sibi auctoritatem tam religiosae vitae sudoribus.

His autem cum philosophiae triennio absolutis, ad alios a Superioribus vocatus est, in Mexicanam Professorum domum jussus contendere Operarius. Ibi loci, quod diu, noctuque domi, atque extra domum innumerae Confessiones, assiduae ubique de sacris rebus orationes, ad carceres, ad nosocomia, et alia publica loca religiosi labores occuparent Socios; constantem materiem invenit Antonius pro ingenti desiderio, quod fovebat, in vinea Domini laborandi. Atque eo praesertim illuc advenientis Antonii priori anno, cum Mexici grassaretur lues febrium, ita increvit confessionum

nu-

numerus, ut Socii plus quadraginta in operoso ministerio ad diem totum, noctisque partem occupati, tam copiosae messi haud omnino sufficerent. Per eos autem dies, in quibus ad prodigium usque adlaborare conabatur novus operarius, patientiam hominis tentaturus Deus, proemioque digniora facturus nitentis conata, crucem imposuit humeris gravissimam, ut in audiendis confessionibus agere non posset ea facilitate, quam et tempora postulassent, et exaestuans ejus charitas adhibere voluisset. Etenim praeter alvi fluxum, quo jam diu laboraverat, et qui Mexicana temperie ingravescebat; certis conscientiae angoribus miserandum in modum solicitari repente coepit, quae perturbata conscientia nullo Sapientis Moderatoris consilio tranquillari poterat; in easque ille angustias postremo deductus est, ut saepissime morte finire tam atroces luctus desideraverit. Urgebat hic Dei charitas; illic salus animorum: verebatur Deum offendere, si festinanter expediret confitentes crimina, plura omittens, quae investiganda credidisset; quod si plus justo in explorandis, et moleste torquendis conscientiis moraretur, oppido animadvertebat, opitulari se non posse tot aliis, in illa hora terribili auxilium implorantibus. Nihilo tamen secius, egregios fecit conatus, et fortasse ultra vires insudavit. Misericordia moti Superiores, ut Antonium a confessionum angustiis cum honore tollerent, ipsum Sodalitati praefecere, cui nomen erat Bonae Mortis, quam, hoc ineunte saecu-

lo, ad Professorum Templum instituerat, ac large impensas praebuerat Petrus Alencastrius Portugallius, Dux Linarium Praetor Mexicanus. Id munus adimplevit, qua fidelitate caetera suae hactenus curae commissa. Tota intendebat diligentia, ne fundi Sodalitatis perirent, neu ruerent in deterius, aut proventuum partem vel minimam ipse non exigeret. In rationibus conscribendis erat efficacia incredibili; ut liberalis, et urbanus in agendo cum iis, qui Sodalitatem constituebant, quorum sane pars maxima erat genere, ac dignitate illustris: callebat apprime Antonius ex Ignatii, et Xaverii exemplis, quantum intersit haec agendi ratio ad Christo lucrandas hominum voluntates. Porro affabili sermone, morum facilitate, modestia, et vitae religione id assecutus est, ut nonnulli, qui recesserant, ad Sodalitatis exercitia redirent; ut ipsum conscientiae Rectorem plerique vellent, ut venerarentur, ut amarent. Nec modice adjuvit, ad hos colligendos fructus, concionantis Praefecti fervor. Erat eloquentia clarus, non ea sane, quae *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, *sed quae in ostensione spiritus*, *et virtutis est*. Non audiebatur, illo concionante, inanis verborum sonitus ad ostentationem Oratoris adhibitus; sed solida argumenta, quae pondere veritatis, rationum efficacia, et profunda interni hominis cognitione constarent. Verba erant, qualia Christiani Oratoris esse par est, limpida, et naturalia: cum intenderet, non hominibus videri, sed re ipsa eloquens esse, maxi-

ximeque ab omnibus intelligi: probe sciens cum Augustino, praestare quidem barbaris uti verbis, dum clara sint; quam venustis, et turgidis, quae ab audientibus haud capiantur. Abstinebat penitus ab argutis quibusdam cogitatis, quae momento temporis intellectum quidem recreant, nec attingunt vel parum voluntatem. In Scriptis Divinis explicandis, nec minimum ab sensu aberrabat, quem, sacris Fidei Doctoribus praeeuntibus, probavit Ecclesia: satis persuasus, maximam Dei Verbo reverentiam deberi, ac semet Evangelio, cujus erat Minister, praestiturum obsequium, nec illo abuti ad assertiones quaslibet arbitrio suo confirmandas. Actio ejus erat gravis, et modesta: nimirum praedicantis Deum, non comoedi. Totis ingenii viribus elaborabat conciones; quas tamen non pronuntiabat e suggestu, quin illas prius calefecisset ad meditationis, et fervidae precationis flammam, et vim majorem dicturo sibi comparasset praevia corporis maceratione, quam adaugere moris illi erat, cum concionis dies appropinquaret. Ita dignus fuit, cujus verbis Deus tantam donaret efficaciam, ut, qui audirent, animi dolore afficerentur: cujus rei testis quidem ipsemet sum, qui praedicanti interfui, cum in Templo domus Professorum annua suis defunctis obirent parentalia Mexicani Milites: memini profecto cum voluptate, quantum me tunc moverint Antonii verba, quantumque ad sacram hominis eloquentiam obstupuerim. Plura etiam ferebantur portento similia de qui-

busdam, criminum veterno involutis, qui salutaribus ejus permoti verbis, ad meliorem se frugem recepere: quin et Durangi nonnullos mundo nuntium dedisse, ac se se ad Christi vexilla in sacris familiis transtulisse. Probi, atque omnino justi viri opinio, quam de Antonio conceperant omnes, miram etiam concionibus ejus vim addebat; eaque propter illustris quidam et genere, et auctoritate vir palam ajebat: Antonium dignum esse Oratorem, cui crederentur, quaecunque e suggestu diceret; cum vitae immaculatae exemplo doctrinam roboraret.

Atque hic in concionando fervor prostravit tandem afflictam ejus valetudinem: nam cum sexta hebdomadae majoris feria vehementi contentione verba ad populum fecisset in religiosa juxta, atque operosa celebratione trium horarum, quibus pro mundo Christus e cruce pependit; ita morbus, quem supra diximus, invaluit, ut desperata vitae salute, post paucos dies ad Ecclesiastica remedia ventum sit. Inde remisit paululum morbus; recruduit iterum: atque ita meliori spe, ac periculo saepius alternantibus, ex Medicorum consilio rus contendere imperatur; si forte purioris aeris respiratio valeret prae pharmacis ex ipsorum praescripto concinnatis. Ad mensem ibi fuerat, cum Mexicanis Jesuitis exilium indicitur. Transducitur cum caeteris Veramcrucem, ubi navigiorum erat expectanda opportunitas. Ut pro statu fluctuantis valetudinis, destinatus extemplo fuit in Sociorum nosocomium,

mium, quod regebat Superior pietate clarissimus Augustinus Marquezius. Quatuor integros menses, vitae postremos, tanto sub Moderatore transegit Antonius: quo toto tempore quid divini commercii fuerit viros inter tam perfecta animorum unitate conjunctos, penitus ignoramus. Id notum omnibus, nunquam, nisi verbis profundam venerationem exprimentibus, de Antonio locutum Augustinum. Per id temporis cum magis, ac magis morbus ingravesceret, enixe oravit infirmus, vocari ad se Ildephonsum Corrum, germanum ejus fratrem, sacrorum olim Ministrum ad Taraumarenses, in eadem tunc urbe, sed in alia domo diversantem. Illi venienti patefecit Antonius quemdam ejus animi recessum; quem quidem, asseruit postmodum Ildephonsus, non potuisse Antonium, nisi divinitus, odorari. Quid illud fuerit, prorsus est in arcanis: cum tamen biduo post Antonium Ildephonsus diem obierit, plane credidere nonnulli, fore, ut discrimen ingens huic immineret; in quod ne tandem impingeret, Antonium a Deo impetrasse, ut morienti sibi liceret, charissimum germanum ad aeternam patriam secum deferre. Assiduis ergo pietatis exercitiis, imperturbata patientia, ferventissimi Divini amoris affectibus, et flagrantibus votis copulandi se se quamprimum cum dilecto Numine, ad mortem proximam comparabat Antonius animum. Urgente periculo, suscepit pro viatico Jesum Eucharisticum, atque annos natus circiter quadraginta quatuor, efflavit tandem animam Idibus Novem-

 bris,

bris, quod supra memoravimus, anno hujus saeculi septimo, et sexagesimo; quo nimirum die solemnia Stanislai Kostkae celebrabantur, cujus ille innocentiam perfecte moribus expresserat. Ferdinandus Bustillus, Eques Calatravius, magna vir auctoritate inter urbis primores; nec mediocriter litteris excultus, Antonii cadaver intuens, humiliter genua flexit, ac pedes deosculatus est: sui videlicet muneris ratione occasionem habuit hominem cognoscendi, cujus proinde virtutem eo magnifecit, ut nunquam de illo verba faceret, quin virum Sanctum appellaret. Sepultus est in Paroeciali Veraecrucis templo, ubi Christianae vitae per baptismum natus erat.

Quam sacram Fidem in eo suscepit lavacro, ad totum vitae tempus indefessa opera excoluit: quamquidem theologicam virtutem manifestam fecit in religioso cultu erga Deum, pietateque in Mariam Virginem, atque alios caelestes incolas. Ad aram sacrificaturus accedebat quotidie, nisi graviter valetudine vexaretur: atque eo erat in Ecclesiae ritibus exactus, tanta gravitate, vultusque modestia compositus, ut religiosus fervor, qui sacrificantem urgebat, facile ad intervenientes transiret. Haec eadem virtus frequenter illum a cubiculi solitudine ad Eucharisticum Numen trahebat; ad cujus conspectum effundebat cor suum dulcissimis juxta, et ferventissimis affectibus. Inter prima, quae vehementer discipulis commendabat, reverentia erat digna christiano ad sacras aedes: ardens

ni-

nimirum domus Dei colendae studium urgebat ejus viscera, ne debitum Divinae Majestati honorem impudenti hominum licentia violari pateretur. Nec in templo duntaxat, sed ubique adorabat, ac reverebatur Dominum, quem animo semper intuens, nulla intermissione cogitabat praesentem, atque ejus gloria plenum terrarum orbem: inde quidem illa vultus, et gestus, et operum omnium perpetua gravitas, quae non studio quaesita, sed ingenita videbatur. Hanc praesentis Dei cogitationem, quam pro virtutum perfectione acquirenda nimium quantum utilem experimento didicerat; et discipulis, et iis omnibus, quos pro confessionibus audiebat, potissimum commendabat. Sacerdotalium precum quotidianum pensum, piacularium globorum cultum Mariae Virgini dicatum, et ea cantica, quae ab Ecclesiae Doctore Bonaventura composita, certamque in formam redacta, *Piissima* precatio dici solet; genibus innixis, pie, intente, ac religiose solvebat. Eadem et attenta mentis custodia, et reverenti corporis positione vacabat divinis rebus meditandis, atque ex Societatis praescripto suae conscientiae bis quotidie investigandae. Mariam Virginum Reginam impenso amore colebat a puero; quem amorem cum omnibus, quibuscum agebat, communicare procurabat solicitus. Josephum, et Lojolam Parentem singulari etiam pietate prosequebatur. Imperatus olim a Superioribus, Durangum immigrare; quo laetior id acciperet, non parum cogitatione adjutus est, in illo ex-

ta-

tare oppido depictam Lojolae imaginem, quae postquam fuerat Omnipotenti Numini instrumentum ad mirificam moribundi sanationem, novo deinceps portento pallorem in se susceperat, aliaque funesta indicia, quae nuntiarant in aegroti vultu propinquum interitum. Ad propagandam etiam alios inter mortales Lojolae amorem, suis ipse sumptibus ejusdem Divi multiplicavit imagines.

Eluxit in eo maxime Divina Charitas; quam probat affatim, quod ad aetatis annos fere quadraginta quatuor nunquam sit visus Dei legem vel in minimo violare. Judicabat propterea vox publica, cum se sisteret Antonius ad Christum Judicem, astiturum indutum nuptiali Divinae gratiae veste, qua fuerat in sacro fonte decoratus. Deus erat suorum omnium operum primus motor; nihil aut facere, aut cogitare videbatur, quod ad Deum non referret; nihil propemodum, nisi de Deo, loquebatur; quod si quem alium sermonem admitteret, in secreto cordis Deum certe respiciebat.. Haec Divina Charitas erat in causa, cur tantopere doleret, quod peccarent homines; cur etiam vehementi arderet desiderio, Deum cognosci, Deum adorari, Deum nostri amantem vicissim amari. Judex ad poenitentiae tribunal, Orator e suggestu, Magister, cum traderet, pueris, et indoctis Fidei sacrae rudimenta, id profecto quaerebat unum, Dei gloriam promovere. Cum in domo Professorum moraretur gravibus, ut alibi demonstravimus, occupationibus onustus; ultro

sibi

sibi etiam imposuit, noctu domus famulos doctrina Christiana pascere; meridieque impetrata a Superioribus venia, quamplurimis ad ejusdem domus januam quotidie confluentibus, qui stipem rogabant, cum alimento corporis utiliorem Divini Verbi panem distribuebat. Cum res agebatur de Collegio pro Sociis aedificando Cordubae, patrimonium suum destinarat huic operi, quod saluti animorum profuturum existimabat; qua tamen frustrata piorum hominum mente, bona illa sua inservire constituit Sacerdotibus alendis, qui per Angelopolitanam dioecesim verbum Dei disseminarent; hoc uno pacto, ut frequentarent Cordubam: ratus videlicet, quod aequum erat, principem charitatis locum deberi Oppido Gentis, et Familiae, ubi altus ipse a tenellis, atque educatus, ubi gentiles opes, fundique, atque ingenua nobilitas. Incredibiliter gaudebat, si quem audiret magno animorum fructu insudantem, aut peculiari quodam fervore concionantem, aut toto ingenii conatu quaelibet alia Societatis ministeria exercentem. Dicebat palam, perquammagna se laetitia susceptutum imperium, si renuntiaretur a Superioribus perpetuus Ludimagister: quoniam fructum se posse colligere speraret inter pueros id aetatis.

Haec in Deum charitas, quae Antonium ornabat, dotes eas habuit omnes, quas ad sinceram dignoscendam praefigit Paulus Apostolus. Patiens erat adeo, ut ne tempore quidem aegritudinis, nec oblatis dissidendi occasionibus, quae occurrunt necessario degentibus inter plures,

un-

unquam à tolerantia defecerit. Tot inter Socios; qui ad plures annos cum Antonio vixerunt, nemo fuit ullus, qui expostulantem illum audiret: ut injuriis, cavillationibus; conviciis impune lacessi posse crederetur. Patientiam impetebant interdum sublabentis irae motus, quos tamen reprimebat, ac fraenabat ita, ut videretur innata mansuetudo, quae victoria erat ingenti studio comparata. Neque vero quod saepius in ejusmodi se vicisset, idcirco minus erat cautus in posterum; sed angue pejus occasionem fugiebat, quoties vel remotum periculum vereretur. Erat etiam benigna illius charitas, maxime cum aegrotis, atque iis, qui ad se in poenitentiae tribunali accedebant: primos assiduus visitabat, solabatur, omni ministerio juvabat, occasioneque data, muneribus recreabat; alteros tractabat suaviter, nec unquam non cum illis erat tranquillus, et humanus; quantumvis rudes essent, aut importuni, aut ingenti copia confluentes opprimerent. Non inflabatur, sed demisse adeo de semet sentiebat, ut verbum, quod sui laudem redoleret, nunquam in ejus ore auditum sit. Tam longe aberat, quod alicui se anteferri desideraret, ut ab ejus verbis, et gestu satis appareret, cunctos credere sibi merito superiores. Vehementer expetebat abjectissimis vacare ministeriis, cum praesertim, id faciens, ab aliis defatigationem redimeret. Quotiescunque Socii omnes pro consessu publico conveniebant, nisi tempestive illi accederent, quorum erat locus inferus, Antonius

nius praeoccupabat. In triclinio, et culina libentissime se praebebat ad ea demissionis exercitia, quae tanti aestimabat Societatis Conditor. Quo tempore Durangi Seminarium gubernavit, perantiquum habuit, ad constitutum in hebdomade diem prandentibus alumnis ministrare. In concertationibus litterariis, in quibus ira solet concitatior erumpere, nullus illo demissior, nullus verbis moderatior. Cum propugnaret, non commendabat responsi sui efficaciam; neque vim argumentationis, cum propugnantes impeteret: semper omnino alienus a maligno quodam, ac subridenti gestu, qui se vicisse credentes fere solet comitari. Atque eo jam facilis erat in iteranda demissione, ut, cum ter memoria falleretur in concione publica, propalam eduxerit scriptum, quod secum ferebat, et inde institerit nullo perturbationis indicio: quamquam fuere complures, qui certissimum crediderunt, id hominem ex consulto fecisse ad aucupandum sibi contemptum.

Toto denique vitae tempore visa est in Antonio praecipua illa nota; quae sinceram a personata charitate discernit; videlicet, non quae sua, sed quae Jesu Christi sunt, quaerere. Quidquid ageret, aut agendum ambigeret, nunquam consuluit, num sibi bonum; sed utrum gloria Deo esset? A pueritia bellum indixit suimet amori; suosque affectus respexit semper tanquam Divinae Voluntatis valentiores hostes. Debellavit superbiam demissione, iram tolerantia, odium beneficentia. Cum Seminarii Duran-

rangensis praefecturam posuit, ad ejusdem Seminarii januam suggillatum se legit maledica inscriptione: certo novit auctorem fuisse petulantem quemdam alumnum, quem et tunc muneribus liberaliter habuit, et exinde philosophiae Magister singulari benevolentia prosecutus est. Austerus nimium fraenavit gulam inedia voluntaria, quam fere vocare possumus jejunium perpetuum: ab iis omnibus abstinebat, quae plus esse judicabat pro delicatioris palati gustu, quam pro necessario corporis nutrimento: et quidquid pro se reficiendo sumeret, nisi horis ab Superiore praestitutis, nunquam sumebat. Perpetua sensuum custodia bellum conflavit curiositati: propterea nisi obedientia, pietas, aut urbana charitas traheret, extra cubiculum non erat. Jam puer videbatur cum suis oculis convenisse, nequid ex perituris rebus intente conspicerent: quod ita quidem, dum vixit, custodivit, ut, quoties volumus Antonii imaginem mente concipere, non aliter possimus, nisi oculis demissis illum consideremus. Nec minori diligentia silentium, quam oculorum modestiam observavit: etenim norat optime, quam difficile sit linguam domare, a Jacobo Apostolo appellatam membrum veneno plenum, a quo in corpus universum descendunt maculae; ignem, qui totum vitae cursum contaminat; seminarium iniquitatis. Amori delitiarum, quibus plus justo mortales indulgere solent, rigorem macerationis opposuit. A cilicio, et flagello, quae puer adhuc in charissimis habuit, non abstinuit, dum

per

per valetudinem licuit: quas quidem, et alias corporis afflictationes adaugebat in esurialibus feriis, in novendialibus ante aliquot Ecclesiae solemnia, et, quod supra memoravimus, cum proxime ad populum de sacris rebus dicturus esset. Nec ejus tenuissimae valetudini mediocris erat maceratio, quod ad quatuor totas horas, ut minimum, genibus flexus quotidie duraret. Amorem consanguineis debitum ita ad pietatem referebat, ut de domo, et genere suo nec loqueretur unquam, nec ullum cum ipsis omnino haberet litterarum commercium. Mexici cum ille degeret, demortua est nobilis quaedam foemina, quacum ei fuerat cognatio proxima; verum nec interfuit pompae funebri, nec penitus verbum protulit, quo defunctam in suis esse intelligeretur. Hac eadem de causa Mexicum advenerat germanus Antonii frater; quem nunquam ille domi visitavit; satis esse credens, quod in via casu occurrentem salutaverit. Cum Angelopoli moraretur Antonius, recuperandae valetudinis gratia migravit illac ejus Mater; quam raro, nec nisi breviter, ac fixis in terram oculis, de salute quaesiturus, convenit.

Avaritiam, carnis illecebras, et, verbo, vitia omnia, perversasque libidines cruci suffixerat, ut cum Paulo loquamur, accuratissime intendens votis religiosis. Quod paupertatis est, non modo supervacanea non habebat, verum et saepissime deerant ipsi necessaria. Mos illi fuit nunquam interruptus, aperto capite incedere: calceis, dum Durangi vixit, usus est ex

cras-

crassiori corio, quam Socii caeteri solebant. Cum iter ageret, contectus ibat lacerna, qua nimirum eadem per urbem utebatur: nec aliud unquam habuit, quo frigora propulsaret. De interiori veste nihil curabat, nec illam pro se tegendo indignam reputabat, utcunque obsoleta esset, ac lacera; nisi Superior a fullone monitus provideret. Siquis donum quodcunque ipsi mitteret, quantumvis flocci aestimandum, ad Superiorem ferebat, ut suo disponeret arbitrio, quid agendum: quod si ex epularibus esset, rogare solebat, ut alicui ministraretur aegroto. In castimonia videbatur ex carne non formatus: ferventissima de Divinis commentatio, perpetua motuum animi coercitio, poenitentiae, atque Eucharistiae frequentatio, singularisque in Reginam Virginum pietas, quatuor fuere arces, quas in pretiosi hujus thesauri custodiam erexit a teneris. Mira efficacia, qua in contrarium vitium invehebatur e suggestu, satis manifestat, quanto ipsum odio prosequeretur. Nunquam tangi permisit, nec ab insonti aetate parvulis, quibus nondum potuerat rationis lumen illuxisse: cumque olim trima quaedam puella invitum amplecteretur; cohorruit admodum, et rubore suffusus, ita se occuluit in lacerna, ut innocens illa, recesserit pavefacta. Equidem scio, posse id a quibusdam fastidium delicatulum reputari; verum hoc delicatissimum fastidium sapor divinus est, et rubor veluti color nativus innocentissimae, atque excellentissimae castimoniae. Tale fuit exemplum in Aloysio Gonzaga, tale in aliis

aliis ejusdem maximopere illibatae innocentiae. In obedientiae laude totus erat in Lojolae sententiis de hujusmodi virtute observandis. Censebat Ignatius, Paulum secutus Apostolum, *subditos adeo nos omni humanae Potestati*, ut *ubi peccatum non appareret*, tum judicio, tum voluntate, tum opere, obediendum foret dicto citius. Itaque nec judicium, nec voluntas Corro erat, nisi a Superiore illam derivaret: hunc in dubiis consulebat, nec ab ejus mente semel cognita, vel in minoris momenti rebus, audebat unquam recedere. Neque modo resistere visus non est; verum nec primo animi motu Superioris obsequi voluntati dubitavit; sive Socios omnes, sive peculiariter seipsum imperia respicerent. Nec minori erat obsequio in mente sua subjicienda conscientiae Moderatoris opinioni; neque minus exactus quibuscunque Societatis praescriptionibus honorem praestabat. Id dicere hac de re, satis esse arbitror, quod complures primae fidei testes de ipsius interrogati virtutibus asseverant: se ad plures annos Antonio Corro contubernales fuisse, nec vidisse illum peccantem unquam sive in aliquam sanctae Matris Ecclesiae legem, sive in Societatis praescriptionem vel minimam. Quod sane unum meo judicio, quaecunque in homine laudando dicere possimus, exaequat elogia.

NICOLAUS CALATAJUDIUS.

SEbastianopolis, notum ab argenti fodinis oppidum Guadalaxarensis in Nova Hispania Dioeceseos, patria fuit Nicolao Calatajudio, piis, atque honestis nato Parentibus, anno saeculi currentis undecimo, quartodecimo kalendas Junias. Habuit inter avos Josephum Florezium, Guadalaxarensem, famosissimum armis, qui a vomere ad militiam felici translatus et indole, et fortuna; Najarithos cum debellasset, gentem barbaram ultra quartum, et vigesimum borealis latitudinis gradum, ipsos ditioni hispanae submisit; inde ab Hispano Rege permultis decoratus honorum insignibus, quam nascens non traxerat, sudore, atque opere strenuo, primus generi suo nobilitatem induxit. Quae res uti Nicolao decus conciliabat apud justos rerum aestimatores, ita vel male intellecta, vel penitus ignorata; calumniae dedit locum, quae imprudenter apud quosdam obliquis rumusculis mussitata clanculum circa Nicolai genus, materies ipsi fuit exercendae mansuetudinis per modestissimum, et patientissimum silentium. Avunculus etiam postquam paroecias aliquot summa cum laude gubernasset, ad Ecclesiae Guadalaxarensis Canonicatum provectus est. Parentes Nicolai quam modicis fortunae muneribus, tam praeclara fuere pietate: quam sane

pa-

palam fecerunt in optima filiorum educatione, quorum tres in Christi Ministros adlecti sunt, soror in religiosas Divae Monicae Virgines, quod severissimae disciplinae coenobium est. Natus jam tredecim annos Nicolaus, a Parentibus missus est, qui ad Seminarium Sancti Joannis in urbe dioeceseos praecipua erudiretur: ibi alacris grammaticae navavit operam, primo semper inter condiscipulos nomine decoratus. Talis etiam fuit in philosophiae curriculo, cui vacavit sub Praeceptore Ignatio Hidalgo, egregii meriti viro. Neque modicae laudis est Nicolao, quod primus ibi haberetur tot inter illustres pueros, qui successu temporum tanti Magistri aeternaverunt honorem; quorum scilicet plurès elegit Joannes Gomezius Parada, memoria, et amore Guadalaxarensium dignissimus Pontifex, a quibus in Tridentino puerorum Seminario, suae potestati subdito, scientiae traderentur. Nec omittendum censeo, fuisse Ignatio Hidalgo dulcissimam indolem; quam, nullus dubito, sensim irrepsisse in Nicolai animum, qui, quantumvis natura praefervidus, nunquam (quod videbimus) tranquillissimo vultu non comparuit. Utinam et Magistri animadverterent omnes, in puerorum naturam id generis documenta quantum influant! Ibidem Theologiae addiscendae dedit operam; et statim sub initio cum periculum fecisset pro comparando sibi praemio, quod alumni complures flagitabant; universos merito antecellens, vestiri trabea consecutus est, quam Regalem appellabant. Ad tres ipsos annos theo-

 logi-

gico vacavit curriculo: atque incertum quidem, num in scientia magis, quam in virtute profecerit. Id liquido constitit, Collegii Moderatorem, puerorumque Praefectum eam in adolescente Nicolao miratos esse morum maturitatem, ut cum domo abessent, nihil dubitarent numerosam juventutem ipsius gubernationi committere.

Haec inter cogitare coepit altiora, pioque obedire desiderio, quod jam plus anno fovebat, in religiosam Jesuitarum familiam transferendi se se. Aperuit vota, pro quibus obtestatus est suppliciter Matrem, Avunculumque, quem defuncti Patris loco reverebatur. Illi autem negavere palam, spei nolentes renuntiare, quam ad fortunae, gloriaeque munera ex tanti juvenis dotibus, atque ingenio conceperant. Ita rebus afflictis, licere sibi credidit Nicolaus, quocunque pacto sequi vocantem Dominum. Clam ergo Mexicum contendit ad tercenta propemodum, et sexaginta milliaria. Provinciae Praeses, quanquam non ignoraret, Mexicanae Provinciae fore bono, si tanta spe juvenis ad suorum album cooptaretur; neutiquam id censuit expedire, cognatis obtinentibus. Itaque remeavit, unde venerat; pedes tamen: cum pecunias habuisset, quae duntaxat pro itu, non pro reditu sufficerent. Enimvero Deus, qui ad tempus tentat, nec omnino deserit; et cujus in manu sunt corda hominum; Matrem, atque Avunculum movere secreto jam decreverat, tum ut magnanimam juvenis pietatem suspicerent,

rent, tum etiam ut optatam abeundi veniam nihil ultra morarentur concedere. Tertio iter aggreditur, atque a Josepho Barba, Provinciae tunc Moderatore, libentissime ad Socios numeratus, Kalendis Julii, anno saeculi vertentis quarto, et trigesimo Tepotzotlanum pro tirocinio proficiscitur. In eo perfectissimae innocentiae loco modesta Nicolai pietas continuo resplenduit: ut illum gradu suppares tanquam exemplar circumspicerent; Superiores tanquam optimum juvenem, cui fidenter quaecunque committerent, quem possent etiam repetitis ictibus formare hominem adamussim religiosum; more nimirum opificis, qui ex artis legibus lignum caedit, ut, quod malit, perfectum opus effingat. Ita cum Tironum Magister in gravem incidisset morbum; qui vices gerere supervenit, eo ductus consilio varie tentavit Nicolaum, ut prae caeteris natu grandiorem, ita et modestiorem in audiendis reprehensionibus, atque in exequendis inflictis poenis jucunde promptiorem. Quatuor vix menses tiro fuerat, cum alter tirocinium recens ingressus, forte ad illum accedit turbatus magnopere, ac tristitiae motibus impulsus ad religiosa castra deserenda. Nicolaus tamen ea verborum tum dulcedine, tum fervore, de tranquilla hominis Deo sacri vita locutus est, ut tetram ille cogitationem deposuerit omnino, nec alias usquam in quid simile incidisse testetur.

Confecto tirocinii biennio, Deo se votis consecravit pari voluptate, ac fuerat desiderium.

Litteris inde humanioribus intendens in Domus ejusdem Seminario, primus habitus est, ut semper alias, in illis obtinendis honoribus, qui merito juvenum ad trutinam ponderato, de more dispensabantur. Hinc illa maxima, elegantissimaque facilitas, quae stuporem Sapientibus faciebat, sive carmina illi occurrerent, sive sermo solutus, sive patria, sive latina lingua, sive longiori praemeditatione, sive etiam ex tempore. Pluries quidem ingentis illi fuit laudis, quod id generis in ea sibi solitudine comparavit, et longa postmodum exercitatione perfecit. Immensis olim gratulationibus, et plausibus celebravere Angelopolitani Nicolaum, qui et miro disposuit ordine pegma funebre, superbe magnificum, et venustissimas laudationes tum latine, tum hispane cantavit, cum Ferdinando Borbonio, Regi nostro suavissimo cives illi parentarent. Tales dedit fructus felicissimum ingenium, quod ea excoluit aetate Ignatius Quinglesius, Panormitanus homo, istiusmodi scientiarum flosculis plurimum certe valens: qui sane Ignatius, Magister etiam severae virtutis, non omisit, pungentibus acute verbis discipuli aures assuefacere; ut jam ab illis vitae litteratae primordiis addisceret, amaris invidorum salibus non offendi. Atque ille rem totam apprime intelligens, ea persistebat serenitate vultus, ut acroama videretur audire. Menses aliquot supra annum amoenis istis litteris vacaverat, cum Octobri mense proficisci jubetur Mexicum in Divorum Petri, et Pauli Collegium, theologico

gico Sociorum curriculo destinatum. Pro philosophia, et tribus annis, quibus ad Guadalaxarenses Theologiae vacasse supra demonstravimus, quater periculum subiit intra paucos menses, ita quidem Magistris probatus, ut pro insequenti anno theses Mexici propugnare ad diem integrum unanimi sit suffragio nominatus: quod eo fecit expedite, ac strenue, ut non juvenis maturitate praecoci, sed Magister videretur, qui Theologica tractans incanuisset. Has ut pararet theses, annum circiter de more habuit; quo tamen anno plurimis ille fuit, variisque generis laboribus occupatus. Quippe in eo Sacerdotis dignitate auctus est a Thoma Montanno, tum recens ad Anticarienses inaugurato Pontifice: cujus dignitatis officia nihil censuit Nicolaus ad tempus remittere, donec theses propugnasset. Illico vacare instituit indefessus verbo Dei praedicando, et sacri Tribunalis labori, a quo aegre ad necessariam corporis quietem, paucasque studio dandas horas revocabatur. Parum tamen ea fuissent omnia ingentis animi, atque expeditae indolis viro, nisi difficile admodum Superioris imperium accessisset. Remoto enim per id temporis Collegii Ministro, tertiam ipsam anni partem vices gerere jubetur Nicolaus in eo munere; quod unum robustissimi cujusque vigilantiam, et nihil toto die interruptam curam sibi poscere palam erat. Satisfecit profecto, qua facilitate, ac religione, quae plurima toto vitae tempore injuncta illi sunt. Post laboriosum huncce annum ad Magisterii theatrum producitur, desti-

natus, qui poeticam ad annum, ad alterum rhetoricam in eodem Collegio juventuti traderet Mexicanae. Utique videbatur huic natus muneri, cui tantam assiduus dedit operam, talique excoluit dexteritate, ac diligentia puerorum ingenia, ut plures ab schola ejus prodierint, qui facile componerent tum carmina, tum solutam orationem, ultra quam sperandum esset ob librorum id generis inopiam, quorum vix paucos, eosque primis duntaxat labris ea aetate Novohispani pueri gustabant in scholis. Nec sane poterant aliter: nam qua aetate Romani olim pueri praetextam non exuerant, Mexicani Theologica tractabant interdum. Qualem se gesserit cum discipulis Nicolaus, hic semel attingam; quod ne pluries repetam, quoties illum Magistrum dixero, talem ubicunque fuisse, lector intelligat. Erat cum illis religiosus, nec affectatus; gravis, nec superciliosus; humanus, nec nimis familiaris; assiduus, nec molestus; liberalis, nec ostentator; adeoque caste pius, prudenter cautus, atque urbane modestus, ut illum instar caelestis incolae venerarentur, eandemque toto vitae tempore observantiam atque amorem praestiterint; nec proinde veriti unquam sint ad illum fidenter accedere, sive prospera res ulla, sive calamitas ipsis contingeret: utique certi cum essent, gratulationem pro illa, pro hac miserationem, et consilium se se ab ore Magistri audituros. Generatim Nicolai nomen, sine grati animi significatione, sine debita reverentia, sine justis laudibus, nullo un-

quam

quam tempore pronuntiabant; tanquam audirent pueri tunc etiam in aula docentem. Pro formandis puerorum animis ad optimi Christiani mores, ac disciplinam, plura excogitavit, plura effecit; atque eo quidem successu. ut in omnibus Reipublicae ordinibus, ac praesertim in religiosis Familiis plures locare discipulos obtinuerit, qui Magistri nomen ubilibet extulerunt, a quo tam honestis fuerant praescriptionibus eruditi. Quo tempore tradebat Rhetoricam, occasionem insuper arripuit verbi Dei praedicandi octavo quoque die ad universos, qui grammaticae scholas frequentabant: cum enim Sacerdos defecisset, qui Sodalitati Marianae Annunciationis praeerat, temporarium ille subivit onus a Superiore imperatus.

Hoc eodem tempore consuetudinem iniit, dum vixere, familiarissimam cum duobus illis Mexicanae Provinciae clarissimis ornamentis; quorum alter Xaverius Lazcanus, Angelopoli natus, pietate illustris, doctrina eximius, laurea insignitus pro explicando Suarezio in illa Academia, Mexici obiit ante annos circiter septem, et viginti; alter Augustinus Marquezius, translatus ad Novam ab Hispania vetere, postquam annos aliquot in Mexicanis mire resplenduit, eosque magnis excoluit laboribus, in Mnestei tandem, quod in ejus vita dicemus, conquievit portu, dum ad destinatum currebat exilium. Hancce cum tantis viris amicitiam, quam peperit, adauxitque in dies maxima illa mentium, atque animorum similitudo; nullis

non

non excoluit honesti amoris indiciis Nicolaus. Et Lazcanum quidem comitabatur individuus ad ea ministeria, quae sane plurima virum ab omni gentium ordine desideratum extra domesticos occupabant. Nec otio interea torpebat comes: librum enim portabat secum, quo mentem utiliter pasceret, dum ille vel in Academiae aula dictabat Magister, vel Minister in poenitentiae tribunali Sanctimoniales audiebat. Domi etiam dictanti praestabat manum pro tot illis deliberationibus, quae petebantur ab homine, cui Doctoris erat auctoritas ab urbe propemodum universa. Propterea Nicolai manus apud eas gentes notissima. Marquezium alio sibi nomine Socium elegerat per id temporis; christianam videlicet disciplinam docturus per compita: quam ad audiendam ut pueros allicerent, modicis praemuniebant se se muneribus, pro illa aetate charissimis. Nec mediocri fuit bono Mexicanis haec inter tales viros familiaritas; quae quidem processu temporis eo similitudinis inter ipsos devenit, ut Socius incorrupta fide, quem de Nicolai vita, et moribus interrogavi; post alia, quae suo dicam loco, in hanc eruperit hominis comparationem cum homine, quam maximam unius dicent laudem, quicunque noverunt alterum: *Cum ad plures, inquit, dies contubernalis fuerim Augustino Marquezio, curiosusque viri vitam investigaverim; conscientiae religione impulsus, asserere nihil dubito, nullam ejus me vidisse fideliorem imaginem, quam Nicolaum Calatajudium; eamque inter ipsos arbitror similitudinem fuis-*

fuisse, *quam Sacer narrat historicus Eliam inter*, *et Eliseum*. Charus etiam erat Nicolaus eo tempore Sociis, quotquot domum illam incolebant; qui profecto sine invidia conspicabantur, ipsum suo merito, et singularibus dotibus fiduciam sibi, atque amorem Superiorum, aliorumque doctrina, et auctoritate graviorum hominum conciliare. Indoles ejus demissa semper, et suo festiva tempore, atque ad obsequium paratissima, nec se rebus alienis unquam immiscens, nihil certe movebat malignas aemulationes. Nisi religiosa temporis distributio compelleret exire, in cubiculi solitudine latebat; ubi Deo solo teste, dulcissime partiebatur horas pietatem inter, et litteras. Notum erat omnibus, quanta religione coleret Societatis praescriptiones; ut etiam animadverterant omnes, ipsum sibi bellum indixisse perpetuum. Id enim vero silentio esse non poterat, utcunque sibimet indulgere data opera simularet: nam frequens audiebatur in cubiculo flagelli strepitus. Ille autem animi candor, venusta simplicitas, inviolabilisque in humano commercio veritas, prae caeteris ejus virtutibus amorem omnium rapiebant. Ita cujusdam sibi benevolentiam comparavit, cujus levem noxam, quam testis ipse unus viderat, legitime interrogatus, tacere non credidit.

Tantis dotibus hominem, dignum existimavit Provinciae Moderator, qui confestim locaretur, ubi singularis ejus prudentia, et humanissima comitas fructus mature mitterent Societati foecundos. Iis erat opportunus locus tiro-

ci-

cinii Ministerium, quod exercere post paucos tertiae probationis menses imperatur. Tirones id temporis Magister moderabatur Josephus Maria Genovesius, nobilis Panormitanus, in sacris arcanis tractandis longe illustrissimus, ut aliis etiam virtutibus oppido praeclarus. Ingentis fuit gloriae Nicolao, quod in munere adimplendo tum Magistro illi nimium quantum probata sit ejus agendi ratio; tum a tironibus ipsis fiduciam omnimodam, ac venerationem eximiam, longe duraturam, meruerit. Post biennium renuntiatus est Magister, qui philosophiam traderet in Angelopolitano Collegio; ubi plures inter egregios discipulos excelluit merito Raimundus Cerdanus, qui postea Jesuitis nomen dedit, religione pius, litteris clarus, natura dulcissimus, quem, nondum juventutis flore deposito, ad Goanaxatenses demortuum (posquam professus cum laude philosophiam Guadalaxarae fuerat) boni omnes lacrimati sunt. Jam ab eo tempore magnifacere Nicolaum Angelopolitani coeperunt: quae publica ejus meriti aestimatio, redeuntibus annis, eo sane increvit apud ipsos, ut pro universis Reipublicae ordinibus homo esset ille, ad quem petissimum in quacunque necessitate confugerent. Inde Februario mense, anno saeculi currentis post quadragesimum septimo, Mexicum rursus vocatur, ad Professorum domus Ministerium. Quo uno Ministri nomine nullis non juvabat officiis commorantes illuc in vinea Domini Operarios. Et domi, et foris, verbo Dei annuntiando, et poenitentia expian-

dis animorum criminibus indefessus vacabat: interdumque siquis ad populum oraturus, inopinato aegrotaret, nihil dubitabat Minister, qua potens erat facundia, ex tempore vices absentis agere. Quae hominis in dicendo facilitas, et huic adjuncta fiducia, quam certam habebant Sodales, nihil ipsis, modo posset, negaturum Ministrum; copiosam illi obtulere segetem nihil interruptae occupationis. Ad haec, tum attentum rei domesticae studium, quam ibi procurare, Ministri erat; tum etiam secura tranquillitas, qua domus Moderator, quidquid unquam agendum esset, Nicolai arbitrio deferebat; peramplum aperuere theatrum, in quo alacritatem illam suam, animi vigorem, expeditam ad omnia facultatem, virtutumque ut ab industria, sic a natura universitatem omnino patefaceret.

Tertium jam ferme posuerat annum in hoc laborioso munere, cum remeare jubetur Angelopolim, designatus Rector Seminarii, cui nomen a Divo Ignatio Societatis Parente. Hoc erectum fuerat Seminarium pro pueris philosophiae, ac theologiae navantibus operam, octavo decimo ineunte saeculo, sumptus large praebente Francisco Andradio, Angelopolitano Socio. Annis propemodum quinquaginta quamplures dederat alumnos, qui et litteris, et virtutibus egregii nullum non illustraverant ordinem Novohispanae Reipublicae: sapientes enim *Parochos* dederat dioecesibus; dederat et Mexico, et Angelopoli, et aliis urbibus praeclaros juvenes, qui merito evecti fuerant ad Cathedralium

Ec-

Ecclesiarum Sacerdotia Canonica; dederat etiam coelo Laurentium Carrancum, egregia pietate Socium, pro Christi nomine sagittis crudeliter transfixum ad Californios. Nemo fortasse unquam aut plenius, aut vigilantius Nicolao munus hoc implevit, tribulis undequaque consitum; cui satisfaciendo penitus, virum inter plures deligere opus erat numeris omnibus absolutum. Quantum patitur humana mortalitas, talis erat ille: alumnis videlicet Patrem se praestabat, Tutorem, Magistrum, Judicem, Paedagogum, Consiliarium, et generosissime liberalem; cum illorum Parentibus, aut quorum erant curae, semper fuit comis, urbanus, justus, promptus ad obsequia; cum Praefectis, Magistrisque gratum se gerebat pro iis laboribus, quibus ex officio incumbebant: nunquam non cum his conveniebat de discipulorum optima institutione; eisdemque pro concionibus ad populum, pro thesibus propugnatis, urbanus, atque amicus gratulabatur. In puerorum formandis moribus, ipsisque in litteraria, et civili vita educandis, ea severissime custodivit, quae sapienter fuerant ab erectionis initio constituta; aedes tamen ipsas, quas pro tot alumnis angustas acceperat, adauxit duplo fere; bonum ratus nimirum, si et daret habitare commodius, et theologos juvenes a philosophorum contubernio dirimeret. Uncialibus argenteis ad unum supra viginti mille constitit novum aedificium; quorum non modica pars libenti voluntate fluxit a benefica manu Dominici Pantaleonis Alvarezii Abrevii, Archie-

chiepiscopi olim ad Hispanicam insulam, Americae primam, quae vulgari nomine Sanctus Dominicus appellatur; tunc temporis Episcopi Angelopolitani: qui sane mira erat in Nicolaum amoris abundantia. Contulerunt et alii pro sumptibus partem non levem, quorum beneficium, et nomina scripta reliquit ille in Seminarii tabulis, tanquam aeternum grati animi signum tum ab se, tum ab societate universa. Ex ossibus etiam Divi Ignatii sacrum monumentum dono dederat Pontifex ipse Nicolao, qui continuo charissimum pignus in domestico Seminarii sacrario decenter collocavit.

Quanquam tanto muneri tantus homo videbatur unicus, quod snmme ab omnibus probatus, fructu puerorum maximo exercebat; credidit tamen Provinciae Praeses post egregios labores valetudini ejus consulendum. Ergo Sacrorum Codicum Interpres, et Magister ad propinquum Divi Ildephonsi Collegium imperatur contendere. Cessavit ab iis, quae Seminarii Moderatorem occupabant; plura tamen substituit, quae nullum otio dandum intervallum patiebantur: etenim multis jam annis ea firmus erat sententia, quidquid sibi esset temporis, totum ex Lojolae mente impendendum vel in sui animi perfectionem, vel in aliorum utilitatem. Tum ad domus Aedes, tum ad alia in civitate templa sacris insistebat concionibus; pro eluendis animorum sordibus in poenitentiae tribunali nunquam frustra requirebatur; ad se adventantes vel consilii, vel rei litterariae, vel animi

tan-

tantum causa; perquam humanius excipiebat; quin propterea remitteret vel minimum de temporis religiosa distributione. Praeterea Sodalitati Dolorum Mariae Virginis in eodem Collegio vigenti, ad menses aliquot praepositus est: cui quidem muneri conatu, ac diligentia maxima, tanquam nihil aliud sibi esset peragendum, incubuit. His intentus laboribus, et Societatis nomen illustrabat, et aliorum saluti proderat, et coronam sibi aeternam merebatur; cum imperium audiit Praepositi Sociorum Generalis, quo Rector ad Havanenses creatus erat. Utcunque ad notitiam inhorruisset, veritus nimium quantum Superioris dignitate onerari; censuit nihilominus, obedientiae merito jucunditatem tranquillae vitae posthabendam. Et jam parabat se pro longo itinere, amicisque valedicebat imperterritus; cum et a Pontifice, cui charissimum illum diximus, et a Sanctimonialium coenobiis aliquot, quibus unum erat solatium ad ejus pedes in poenitentia provolvi; et ab illustriori civitatis parte, quae Doctorem, Consiliarium, Oratorem, Amicum ab se avelli lacrimabatur; litterae supplices ad Provinciae Moderatorem delatae sunt, quibus orabant instanter, ne Nicolaum Angelopoli abire pateretur: cum praesertim testarentur Medici, tanti hominis valetudini navigationem perniciosam futuram. Connivendum Superiores arbitrati sunt, reverentia maxime Pontificis benemeriti; atque immutato duntaxat Magisterio, moralem tradere Theologiam in eodem Collegio imperaverunt.

Ad

Ad triennium tamen valuere preces: nam renuntiatus postmodum Petrus Realesius, qui Provinciam gubernaret, solicitis ad Nicolaum litteris haec dicebat: *Equidem in hoc munere constitutus, id unum spero futurum oneri levamen, si te a secretis habeam; quae si me spes frustraretur, profecto asperrimum esset. Exi proinde Angelopoli, quanto citius poteris; nec ulli valedicas, nisi benemerito Pontifici, atque illustrissimo ejus Nepoti (Episcopus hic erat, qui vicariam praestabat opem avunculo jam seni) quibus, quanta vales eloquentia, cura, ut persuadeas, expedire quamcelerrimam obedientiam his meis litteris.* Confestim volavit ille ad Pontifices, qui quanquam rem aegerrime tulere, libere tamen abire passi sunt. Postridie Mexicum iter arripit; atque ad novum Praesidem ante triduum deveniens, individuus ejus comes a secretis constituitur. Et cum esset clara, et vegeta praeditus mente, facillima in rebus expediendis dexteritate, actuosa strenuitate, atque industria in quibuslibet arduis pertractandis; communi bonorum plausu tot, tantasque suscepti muneris partes mirifice adimplevit. Id enimvero efficere non potuit, quin amara occurrerent non pauca; quae tamen in profundo cordis recessu sepulta omnino jacuere, neque linguae unquam libertatem permisit, ea credendi amicis vel fidissimis. Familiaris quidam casu reperit Nicolai manu scriptum in haec sensa: *Neque unquam expostulabo, neque vero verbum faciam de rebus, quae in meo munere exercendo contigerint.* Quod sanae mentis

tis propositum custodivit sincerus; quantumvis pluribus notum fuisset, in tanta negotiorum varietate, immensisque illis itineribus, quae Moderatorem comitatus bis in triennio de more peregit, quamplurima quidem occurrisse, quae hominem modeste verecundum, natura circumspectum, nec etiam (nimirum ex Sancti Spiritus consilio) boni nominis, atque existimationis negligentem, gravissimis molestiis affecerunt.

Magnopere desideravit, atque aperte fere conatus est, ut, cum triennio illi posuisset terminum, denuo sibi regredi liceret ad tranquillam privatae vitae suavitatem. Attamen cum, sui muneris ratione, totus futuri triennii tenor latere ipsum non potuisset, videretque Sociis, qui a consiliis Moderatori erant, summe se probatum, ;et proinde conspicua Superioris dignitate donandum; indicavit saltem, gratum sibi futurum, si ad remotissimum aliquod gubernandum Collegium ;mitteretur, ex iis videlicet, quorum longinqua positio ad sexcenta, nongenta etiam, a Mexico milliaria terrorem aliis incutiebat. Et hoc postremum obtinuit: nam ineunte Moderatoris munus Francisco Zevallio, Rector ad Goathimalenses Nicolaus dictus est. Serio cogitavit, quo datae sibi provinciae terminos promptior attingeret, viam aggredi cum Tabellario, qui equitans, et quamcitissimus, viginti plus minus dierum spatio conficere solet nongenta illa milliaria, iter admodum difficile, ac salebrosum, quod multis interscinditur, iisque profundis fluminibus, ut etiam praeruptis

an-

anfractibus montium, qui Alpes longa serie, atque altitudine exsuperant. Caeterum ponderatis omnibus, id exequendum non credidit sine imminenti vitae periculo, quam nulla justa causa contemnere, plane duxit temerarium. Itaque decrevit incedere, qua solebant ratione caeteri; neque tamen permultis comparatis, quae pro tanto itinere necessarium constituunt viaticum. Fama praecesserat hominem, jam' avide a Goathimalensibus expectatum, qui sane cives peculiari Sociis benevolentia semper faverant; plus etiam, dum jlle vixit, qui praeerat tunc Archiepiscopus, Josephus Figueredus, insigniter in Lojolae filios beneficus, eoque ipsos magnifaciens, ut, Societatis votis rite emissis ad Nicolai conspectum, tanquam Sociorum unus mori voluerit, atque inter ipsos terrae mandari; obtenta, dum viveret, Romani Pontificis facultate. Vix in urbem pedem intulit Nicolaus, illico manifestum fuit, quanti aestimaretur a civibus, aperte vocatus Orator, Theologus, religiosus, prudens conscientiarum gubernator. Foemina quaedam ad illum accessit, oravitque instanter, uti se pro confessione vellet audire, hanc unam desiderii sui causans rationem: quoniam de ipso divina plurima ferebantur. Ingenua candoris, atque animi nihil fucati sensa! quae profecto satis indicant famam hominis, etiam in vili populo disseminatam. Et quibus eam meruerit operibus, mox edisseremus, postquam totam vitae seriem continuata narratione perfecerimus. Post exactum Goathimalae triennium, ad Anti-

carienses transivit, eodem munere decoratus. Regebat urbem Episcopus Michael Anselmus Alvarezius Abrevius, is idem, quem supra demonstravimus, apud senem avunculum Angelopoli olim commorari. Ab hujus conspectu, quantum pro munere dabatur, eripiebat se se, fugiens nimirum honores, et benevolentiae signa, quibus Pontifex ipsum prosequebatur. Ea tamen fuga, quae nulli manifesta non erat, plus nominis fugienti attulit, quam honores ipsi attulissent. Quod sane venerandum nomen adaugebant praesertim religiosa ejus modestia, cunctis urbis ordinibus probata sapientia, indefessa pro ministeriis alacritas: orabat enim e suggestu, assidue sedebat ad poenitentiae judicium, in domestico silentio facilis praestabat se consulentibus: ut verbo dicere possimus, paratum semper illum unicuilibet inservire, nunquam cessare a laboribus. Annum functi erant Anticarienses tam praestantium virtutum homine, cum de re Jesuitica in illis regionibus actum est. Septimo Kalendas Julias, anno sexagesimo septimo saeculi currentis, Janitor Collegii summo mane Nicolaum monet, nuntium adesse Regium, qui ad Rectorem jubebat se introferri. Occurrit ille nihil pavidus, ex ejusdem nuntii voluntate Socios omnes imperat congregari; decretum de exilio legitur; obtemperatur. Inde ad calculos vocatus Nicolaus, diem egit integrum in reddenda ratione de domus proventibus, et ea quidem serenitate vultus, qua venientem quemque solebat excipere. In permolesto

lesto ad Veramcrucem itinere, atque in ejusdem urbis diversorio mirum erat, qualem religiosa dulcedine, ac Sancti Spiritus gratia plenam eloquentiam effunderet, pro Sociis afflictis, aegrotisque sublevandis. Ea tamen ad paucos menses: tantis enim debilitatum laboribus extremus morbus, quod postea narrabimus, occupavit; Deusque misericors maturo jam ad caelestem patriam viro futura tempora condonavit.

Atque ea fuit externae vitae Nicolai series; cujus venustior apparebit imago, ut singillatim virtutes animi contemplemur. Harum maximam, quae charitas in Deum est, summo conatu effecit, ut prae caeteris foveret omnibus: et, quod praecipuum Divini amoris fundamentum est, odio maximo habebat peccatum. Hoc sane odium assidue in sermonibus familiaribus ad discipulos promovebat; et quadam die apud illos ipse testatus est: *se quotidie ad horam dimidiam, ut minimum, commentationi vacare de horrenda peccati foeditate*. Plane conspiciebatur fructus in illa immaculata conscientia, quam summis extollunt laudibus, qui pro confessionibus illum audierunt. Ex his unus haec ad me sincerus asseruit: *Erat eo proba, et integra conscientia, ut noxam vel levissimam nunquam scienter admitteret*. Nihilo tamen secius ut a criminis vel umbra quamremotissimus esset, quotidie ad poenitentiam accedebat. Loquebatur de Deo fervidissimis vocibus; et cum de vita danda pro Numine verba faceret, ita vultu accendebatur, ut notum esset audientibus,

quam ardenti flagraret desiderio, in Majestatis Divinae confessione vitam ponendi. A tirocinio magni aestimare didicit Nierembergii codicem, cui titulus, *Vita Divina, et iter ad perfectionem*: cujus pia cogitata in quotidianis effundebat sermonibus, atque ad illorum normam formabat tum suamet opera, tum eorum, qui ab se quaerebant vel solatium, vel consilium. Inde quidem perpetua voluntas nihil a Divina recedens, quam basim dixero immutabilis illius vultus, prospera juxta, atque adversa contingerent; quorum omnium auctorem cogitabat secreto Deum. Non leve dedit indicium, quantum sua cum Divina voluntas conveniret, cum Anticariensis Collegii Rector exilii legem audivit mire tranquillus, tanquam de re ageretur, quae sua nihil interesset. Neque toto illo tempore, quo cum afflictis recenti perturbatione Sociis duravit, vel leve unquam ab ejus ore verbum excidit, quod querimoniam redoleret, unum calamitosis rebus proponens ad familiares remedium, quod Divinam Voluntatem venerarentur, quae gloriam suam per sociorum afflictiones quaerebat. Regius ipse Minister, qui Anticariae decretum exilii tulit, adeo miratus est facilem obedientiam tranquillissimi Nicolai, ut hanc egregiis laudibus efferens, ad Mexicanum Praetorem significare litteris non dubitaverit. Hancce cum Deo amicitiam ut quamstrictissimis vinculis aeternaret, matutinam horam sacrae commentationi destinatam nullo unquam casu praetermittere datum est; cui etiam, pro-

ce-

cedentibus annis, vespertinam aliam adjunxit. Orabat semper genibus flexis, capite ad pectus inclinato, brachiis in crucis modum dispositis; atque ita velut a mente omnino raptum illum, quotidie se reperisse anno toto Sacerdos testatur, cui munus fuit olim Angelopoli cubicula invisendi Sociorum ad horam meditationibus constitutam. Octo illis diebus, quos aeternis rebus mente volvendis destinare quotannis imperabamur, solicite custodiebat se se, laetusque in optata solitudine, pro fructu ad annum insequentem pias, admodumque solidas cogitationes, atque in se decreta parabat; quae in secreto mentis agitans, quidquid unquam accideret, ad rerum humanarum contemptum, Deique unius amorem excitaretur.

Quo firmius in Theologicae Fidei principiis roborari posset, atque alios ad se venientes nullo erroris periculo erudire; impensissimam dedit operam Theologiae, quam appellant Dogmaticam; idque semper in opinionibus propugnabat, quod propius accedere arbitrabatur tum ad pietatem, tum ad obedientiam, observantiamque in Catholicam Romanam Ecclesiam; nihil sibi curans de aucupando Sapientis nomine, dum rectis posset doctrinis Ecclesiastica jura sustentare. Sensus etiam ipsos, qua poterat, omni ratione juvabat, ut Fidei veritati assuescerent: propterea quoties pompam funebrem transire per viam audiret, continuo fenestram adibat spectaturus, intentisque oculis cadaver considerans, concionem dicebat illam sibi effi-

cacissimam. De morte, ac rebus omnibus, quae praecedunt, quae subsequuntur, eo familiariter, tantaque verborum vi, et alacritate loquebatur, ut plane intelligeretur, assiduam cogitationis materiem sibi esse tetram illam, sed necessario credendam veritatem. Fide credebat religiosus, adorabatque pius arcana incomprehensibilia, quae in Missae Sacrificio Sacerdotes instaurant. Hanc tanto animi fervore quotidie celebrabat, tam gravi et in gestu, et in verbis dignitate, ut qui attente animadverteret, excitaretur profecto ad Mysterii Fidem. Tumore ad genam in deformitatem horribili, dum Goathimalae immoraretur, laboravit; nec tamen idcirco a Sacro peragendo abstinuit. Per itinera, ne ab hoc animi solatio impediretur aliquando, cuncta secum necessaria importabat. Biduo fecit olim milliariorum iter ad nonaginta, eo duntaxat nomine tantam defatigationem insumens, ut celebraturo rem sacram postridie commoditas esset. Utique suspicati sunt quidam, pietatem hujusmodi praemio tunc donatam a Deo: nam quod iter ea celeritate fecisset, opportunus venire potuit, ut pararetur imminens ruina sphaeristerio puerorum in Divi Ignatii Seminario, quod ille Rector gubernabat: sane si tardius hic adventasset, tectum ex peritorum sententia sine dubio ruebat, fortasse nonnullorum extremo periculo, qui debuissent inibi reperiri. Postquam Missam celebraverat, gratias acturus, alteri sacrificanti intererat. Sacerdotales precationes aut

stans,

stans, aut nixus genibus intentissimo fervore solvebat: quod facere gaudebat interdum coram Eucharistico Numine. Diu, noctuque frequens erat in Sacrario domestico, nec unquam cubitum ibat, nisi prius lampadem curaret, ne lumen sacrum noctu deficeret. Ubicunque regere alios datum est, curavit maxime de altarium, et sacrae supellectilis nitore; quam supellectilem, ubi facultas non deerat, voluit etiam magnificenter decoram. Angelopoli Sodalitatis Dolorum Deiparae Praefectus inaurare fecit sumptibus magnis, et solemniter dicavit Mariae Virgini altare pulcherrimum.

Assidui juxta, et mirabiles christianae Fiduciae fructus inter virtutes fuere Nicolai: nec alio sane, quam hoc solido fundamento nitebatur in tot, tamque arduis, et magnificis aggrediendis. Aedificium illud vere sumptuosum in Divi Ignatii Seminario non utique cogitasset, nedum ad perfectionem deduxisset, nisi vir omnino magnanimus. Nec quod tantas in opere extruendo pecunias insumpserit, misere vexavit alumnos in sordida parsimonia; quin potius ita eosdem laute, ac generose tractavit, ut postremis Mexicanae Provinciae temporibus meminissent adhuc, atque hoc nomine Rectorem Nicolaum laudarent, qui sub eo fuerant alumni. Et quod mirum, cum brevi post tempore munus deposuisset, nullo aere alieno grave Seminarium reliquit. Id scilicet homini solemne semper, ut sibi subditos, quantum liceret pro religiosa paupertate, haberet magnifice;

fice; atque in providendo ipsorum necessitatibus, ea se gereret ratione, quae prorsus digna esset pecuniosi Principis. Nec ob inopiam Collegii, cui praeerat aliquando, minus fuit cum Sociis liberalis, nec se praestitit confectum angoribus, nec aegestatem undique venditavit. Aperte ajebat, oppigneraturum se, atque etiam divenditurum totam Collegii supellectilem, cujus pretio subditis abunde consuleret: quod si nulla sibi reliqua esset ipsis consulendi ratio, ejusdem Collegii claves Provinciae Praesidi missurum, qui Praeses pro Domino laborantibus, ut par erat, provideret. Providit adeo copiose Deus, ubicunque ille Rector moratus est, ut Socius quidam, cui notae penitus erant rationes proventus, et expensae in Anticariensi Collegio, haec testatus ad me sit. *Equidem mirabar, unde pro sumptibus quotidianis pecunias eliceret; cum liquido constaret alias, pro domesticis necessitatibus nihil unquam ab exteris flagitasse.* Sed nimirum erat illi thesaurus in magnanima fiducia, qua firmissime sperabat, suorum indigentiae nunquam non consulturum Deum. Cum praedictam Anticariae domum gubernare missus est, ad breve tempus extimuit, tum quod Collegium magno erat aere alieno obrutum, tum praesertim quod solvendo non esset reditus, qui pauperibus familiis ex pecunia debebantur, quam moriens praedives quidam Jesuitarum curae commiserat. Et fuerat iste opulentus, Emmanuel Fiajus, virtutibus etiam clarissimus, qui postquam Sociorum Collegium, in ruinam vergens,

gens,

gens, magnifice reparavit; ingentem aliam pecuniae summam ad civitatis mercatores collocavit; ex cujus pecuniae proventibus, quos exigere Socii curarent, tres et triginta Virgines, ob Christi annorum memoriam, quotannis ad Sancti Francisci Borgiae solemnia, tercentis aureis donari singulas testamento reliquit. Sed cum illi reditus magna ex parte periissent, Anticariensis Collegii gubernatio difficilis inprimis habebatur. Ad Deum confugit Nicolaus, atque exinde in eam devenit fiduciae magnitudinem, ut ab ejus ore quandoque exciderit, id sibi in secreto cordis dictum ferme audivisse: *Nihil timeas; hoc enim munus cum honore absolves*. Utique postquam exul Anticariam reliquit, solebat ille dicere: *Ecce intelligo, cur honorificus ab officio exitus praenuntiatus mihi sit*. In eadem Anticariensis domus inopia, siquem subditorum aut vestitu, aut pecunia donaret civium quisquam, dolebat vehementer, atque interdum pro potestate imperabat, ne tale quidpiam ultra admitteretur; id insuper generosa liberalitate promittens: *Paratus equidem sum, quidquid vobis opus fuerit, ministrare*. Is tamen ipse post latam exilii legem perquamfacilis fuit, ut Socii reciperent, quidquid ipsis charitatis titulo benefici obtulerunt: nihil enim reliqui erant communes proventus, qui penuriae uniuscujusque consulerent. Cum parentaret Josepho Figueredo, quem diximus Goathimalensium Pontificem, maxime curavit, orbi patere universo justum amorem, observantiam, gratumque animum Socie-

cie-

cietatis erga benemeritum hominem, cujus exequias magnificenter instruxit. Porro justa haec pro munere faciens, indulsit etiam ingenio; quo quidem erat ita generoso, et liberali, ut plures de ipsius interrogati virtutibus, in hanc sententiam convenerint: *Videbatur ille ex opulentorum Principum natus genere*. Propterea quantumvis magni ubique aestimatus, quamplurimis, ut ita dicam, opprimeretur muneribus, nihil tamen apud se retinebat: cuncta enim collocabat sua in sublevandis pauperibus, hoc tantum ordine, ut primi essent suae charitatis creditores, qui primi erant necessitate, vel quibus alias grati animi causa teneretur. Hic profecto Nicolai gratus animus virtus erat nota omnibus, quam fortasse quis diceret primum in ejus corde locum obtinuisse; nisi tot, ac tam egregiae confluxissent; perfectum hominem formaturae. Nunquam oblitus est, hunc, aut illum sibi fuisse aliquando beneficum; curabatque qua poterat, tum paribus, tum superioribus officiis pro iis, quae sibi praestita fuerant, remunerari.

Charitate in homines erat, quanta is esse debet, qui in sacro ministerio conciliandi Deum hominibus constitutus est. Atque hos trifariam amabat: nam et ipsorum honori fidelis consulebat, et bono corporis opitulabatur misericors, et animi salutem ferventissimus procurabat. Nunquam alienum nomen laesit, nec erratum hominis in familiaribus colloquiis ab eo audiisse, ullus est, qui meminerit. De sibi subditorum noxis nec ad intimae consuetudinis amicos, nec

ad

ad Superiorem expostulabat; sed ipsemet corrigebat, quae animadverterat. Quidam tam juste, quam humaniter ab illo increpitus, intemperanter effudit iram; ad cujus verba obmutuit Nicolaus, tanquam Superiorem audiret. Inde cum, exacto triennio, fluctuaret anceps, num succedentem sibi in munere certiorem faceret de hominis ingenio, ut iracundo cautum se praestaret; nec id facere vellet, nisi ex alieno consilio; amicum in longinquo positum interrogavit, suppresso tamen rei nomine, ut ejus honori parceret. Siquis ab se corrigendus esset noxius, graviter, et sedate agebat, inprimisque verborum acerbitatem removebat. Imperatus olim a Provinciae Praeside, ut quendam sibi subditum publice more majorum objurgaret; perquamcomiter id fecit, simpliciter exponens imperium, et noxam; nec alio, adjunxit, opus est, pro viro religiosae pietatis, in cujus laudes postremo declinavit. Mirum erat audire Nicolaum, cum ad longum tempus cum quolibet gentium ordine perhumana, et lepida colloquia protraheret, quin ad foecundam illam de alienis factis materiem deveniret unquam; nec etiam ad justi doloris causas, quae in tanta rerum vicissitudine, ac munerum varietate frequentes illi contigerant. Pollebat ingenio facili admodum, jocosisque salibus prompte feraci; unum tamen videbatur ignorare satyrae artificium. In providendis corporis necessitatibus, amabat eximius homines; qui certe assidui, fidentesque illum conveniebant, in cujus dulci

na-

natura reperiebant et facilem aditum, et votorum expeditionem. Nec ea tantummodo praestabat auxilia, quae confestim usu evanescerent: nam ubi bono corporis bonum animi conjunctum existimavit; ut perpetuo charitatis alienae beneficio frueretur aliquis, rogare non distulit viros et pecuniis, et dignitate potentes, apud quos magni habebatur ejus commendatio. Plures fuisse, asseverat Socius quidam, quos hac diligenti charitate Nicolaus adjuvit, a teneris illos fovens, donec vel ad gynaecea Virginum, vel ad Sacerdotes collocaret. Quidam alius cum casu audiisset, foeminam esse adeo egentem, et nudam, ut ad multos continenter annos Missae non interfuisset, puellamque habere, matrimonii fructum, quae jam pubes, ipsa de causa, nondum novisset sacras aedes; misericordia commotus ad Nicolaum confugit. Et hic ferme ostiatim emendicans apud foeminas opibus pollentes, vestesque laceras humiliter postulans, tantum denique habere potuit, quo nudas in praesenti contegeret, ac postmodum obtentis aliis pecuniis, charitatis nomine, sustentaret. Hinc frequentes ad templa fuerunt, ad poenitentiae tribunal, ad Eucharistiam; puellaque post paucos menses, benefico Nicolao ad extremum usque interveniente spiritum, feliciter innocentem efflavit animam. Qui tantam dabat operam sublevandis corporibus; enixius, ac ferventius juvandis animis intendebat. Confluebant ad illum domi, forisque vocabatur assidue pro scelera confiteri petentibus: cujus quidem labo-

ris

ris incredibili voluptate fructus comparavit uberrimos. Ipsum cogebant Pontifices, ut pro eodem exercendo munere Sanctimoniales adiret, quae flagitabant, ac precibus urgebant ubique Nicolaum; utpote cujus noverant et consilium prudentissimum, et patientiam in mulierum querimoniis audiendis, et solertiam in scrupulis evellendis, qua majorem ne possent quidem excogitare. In dicendo e suggestu, aut erat, aut certe videbatur eo robusta constitutione, ut nullo posset opprimi labore. Ubicunque illi contigit pro munere, sacras ad populum orationes distribuere inter Socios, quanquam officii ratione deberet esse immunis, abundantius onerabat se se: atque eas quidem sibi segregabat, in quibus esset tum plus operis, tum minus honoris: ut propemodum videretur mortalibus humeris pondus immensum. Goathimalae cum esset Rector, provinciam dierum aliquot sibi assumpsit in Christiane erudiendis, atque ad justum supplicium comparandis facinorosis tribus, qui publico detenti carcere, capitis damnati erant. Quod nisi interea Nicolaus Anticariam immigrasset, destinatus ibi Sociorum Moderator; incertum sane, num illi sors contigisset, quae post mensem contigit Christophoro Villafannio: hic enim Socius cum in supplicii pervigilio ipsis reis, in sacello carceris inclusis, de more adesset, paulo post meridiem ab eisdem crudelissime occisus est. Atque illi quidem post horrendum facinus, obserato intus ipso, in quo asservabantur, sacello, desperata fero-

cita-

citate negabant se committi militibus, ab urbis Praefecto illuc immissis: quorum tandem reorum unus, et alter plumbo lethaliter trajecti sunt; tertius passis manibus misericordiam imploravit, atque ante Solis occasum in fori patibulo poenas dedit. Neque iis duntaxat intendebat Nicolaus oneribus, quae suis ipse humeris ultro imponebat, utilitati animorum consulturus: extra domesticas etiam aedes persaepe orator invitabatur. Et quanquam tot, ac tam diversae naturae occupationes urgerent hominem, nunquam non fuit exceptus plausibus apud eloquentiae peritos. Ex communi horum suffragio, quantumvis ipso invito, typis mandata fuit laudatio illa funebris, quam de Pontificis Figueredi virtutibus pronuntiavit.

Longe tamen fuit, quod hujusmodi plausus, et communis omnium probatio fecissent illum animo tumere. Severus Aristarcus in semet suas a natura dotes, et studio comparatas virtutes mirifice despiciebat. Et cum plane ex animo loqui noscerent omnes, nec lateret alias, illum esse justum rerum aestimatorem; unum errare, ajebant, quod crederet se, qui non erat, atque id ipsum persuadere caeteris conaretur. Si quando, se praesente, de collatis in ipsum honoribus, et bono ejus apud omnes nomine, sermonem quis faceret; jucundum erat audire, quanta de his jocaretur, et quam lepide in suimet irrisionem omnia vertere tentaret. Si conviciis impeteretur, demissus opponebat silentium; et non repercussa, frangebatur ira. Magister phi-

philosophiae cum matutinas theses de more propugnaret, quidam fuit, qui objiceret non tam rationes litterarias, quam convicia in Magistrum, quem imprudentem dixit, quoniam thesibus praefixisset illum diem, pro cujus vespera, nulli non cognitum, se in templo solemnibus occupatum. Ad suum ille confugit silentium; quod ita placuit universis, ut post dies paucos, cum iterum Nicolaus in arenam litterariam Magister procederet, fuerit alter, qui summis laudibus ipsius modestiam, atque animi moderationem extolleret; idque dixit, se facere sui Superioris jussu, qui primi illius liberiorem sermonem minime probaverat. Ad isthaec Magister, laudum, quam conviciorum intolerantior, quamplurimis vicissim certavit officiis, nec cessabat ab excusanda illa, quam appellavit scholae fervoribus assuefacti hominis inconsiderantiam levissimam; atque ita bonum ejusdem nomen incolume tueri totis ingenii viribus conatus est. Demissus accedebat ad Subditorum sedandos animos, veniamque deprecandam, siquis ob admissam culpam ex munere objurgatus, male habitum se existimabat: *Id enim*, modestus ajebat Superior, *ab exiguo meo venit ingenio: caetera quidem nihil dubitate, unum mihi esse animum, ut imposito muneri satisfaciam; neque vero quoniam noxam reprehendo, vel minimum idcirco de bona existimatione amittitis apud me*. Sereno etiam audiebat vultu, cum animadverti aliquid in sua ratione agendi moneretur: et si justa esset monitio, continuo rem emendabat; nec se excusabat, si injustam crederet.

Socius fuit quidam, qui quoddam Nicolai Rectoris factum tanquam emendandum proponeret in conventu domestico: et res erat ea ipsi Nicolao, qui faciebat, laboris maximi; Sodalibus manifesti emolumenti; agentibus extra domum religiosi exempli. Vix tamen audiit, id male acceptum; nihil se tale commissurum unquam, pollicitus est. Suos ingenii partus, quanquam inter primos doctrinae Magistros haberetur, illorum subjiciebat judicio, qui se longe inferiores profitebantur: et siquid emendandum ii crederent, ad ipsorum arbitrium immutabat. Cum Magister ex officio argumentaretur, mirabili quadam rationum efficacia propugnantes urgebat; cessabat enimvero, cum proxime succubituros animadverteret. Tradens pueris philosophiam, octavo quoque die coram ipsis recolebat, quae per hebdomadem totam dictaverat; nec erubescebat palinodiam canere, siquid in illis ab se scriptis corrigendum existimaret. Argumentatione audita in thesim ab se defensam, mire sincerus respondit aliquando: *Maturius rem perpendam; nunc enim difficultatem solvendo satis non sum*. Nec puduit olim apud quosdam dicere: *Hodie argumentanti alumno quid responderem, prorsus non habui; cum saepius operam dederim illi intelligendo proposito*. Theologiae Magister propugnanti juveni interfuit, qui sibi pro thesibus Mecoenatem elegerat Dominicum Alvarezium, laudatum jam Angelopolitanum Pontificem; in cujus laudes, qui argumentabantur, vergebant, quis patria, quis latina lingua, quis car-

carmine, quis oratione soluta, quis etiam hoc, quis illo metro. Et Nicolaus eisdem usus et lingua, et sermone, et metro, nihil paratus unicuique respondit; rationibus ipsis, atque interdum vocibus, valentiori tamen efficacia propositis, Mecoenatis virtutes, et dignitatem extollens. Re tota desinente, miratus admodum Dominicus, Magistri elogium intexuit; qui sane reboantium plausuum, et promeritae gloriae intolerans adeo fuit, ut ab adstantium conspectu clam effugerit, nec inde ad gustationem per bellaria, congelataque sorbilla comi officio dari solitam disputantibus, comparuerit. Quam autem hic vitare gloriam omnino haud potuit; declinare alias obtinuit, oppido diligenter auctorem se occulens celeberrimi scripti. Puella genere illustri cum pecunioso juvene, sed nobilitate non aequali, sponsalia contraxerat: quae vix cognita, cum rescindenda vellent Parentes Virginis, a Pontificis Mexicani Vicario, qui celebrandis nuptiis favebat, municipali jure ad Angelopolitanum appellarunt. Is, auditis partibus, cum impediendum matrimonium pronuntiasset; ad Regium Mexici Senatum, parte altera provocante, res integra devoluta est. Et pendere Senatores pro sponsalibus videbantur; et rumor undique de judicanda lite, nupturaque puella ferebatur; cum ab Angelopolitano Judice scriptum comparuit, paucis quidem verborum lineis, eo tamen rationum pondere, ac Juris Canonici cognitione, ut cum in judicium Senatores venerint, nemo non sub-

 scrip-

scripserit Angelopolitani sententiae. Omnino tunc incertum, quis tanti scripti fuisset Auctor: sciebat Nicolaus, qui, nullo teste, adlaboraverat; sciebat Pontifex, sine dubio rogatus, ne rem palam faceret; sciebat etiam quidam alius, optima fide Sacerdos, qui post Nicolai mortem rupit silentium. Hoc eodem silentii propugnaculo ab honoris insultibus tuebatur se se, quoties ab eo Pontifex pro amplissimae dioeceseos regimine consilium exquireret. Inter haec nunquam ab alio ministrari sibi patiebatur: ipse cubiculi sordes everrebat, atque a culina calidam manu portabat, coccolatum dissoluturus. Vultu semper demissus erat, cum incederet, cum familiariter verba faceret, cum concionaretur. Ad poenitentiae tribunal accedens, iis in semet vocibus utebatur, ut testetur, qui quandoque audivit ipsum Sacramenti Minister, tota hominis verba demissionem animi redolere. Fuit olim quidam invidus, qui ad beneficum illum suum Alvarezium dixerit: nihil esse, quod tanti faceret Nicolaum, hominem certe nullis dotibus insignem. Id cum aliquando, suppresso invidentis nomine, in Nicolai notitiam devenisset, ridebat effusissime apud Antistitem, atque haec in se tandem effatus est: *Quisquis ille fuerit, qui talia de me pronuntiavit, intus profecto me novit, atque adeo justus est rerum aestimator.*

Indole ad bilem pronus, non potuisset fere ad prodigium in quacunque re subita dulcis esse, ac tranquillus; nisi perpetuis in se victoriis affectus animi debellasset. Liquido constabat om-

omnibus, qui cum eo familiariter utebantur, nunquam inventum fuisse aut hilarem nimium, aut tristem, aut subiratum, aut tetricum, aut animo pusillum, aut praecipitem, aut exterritum, aut imparatum. Cui veritati adstruxit fidem, quod insignis memoriae dedit exemplum, quo tempore Divi Ignatii Seminarium Angelopoli gubernabat. Solvebat quadam die quotidianas preces, cum nuntiare quis venit: Theologiae studentes alumnos, quotquot erant, quos ipse facti cujusdam inurbani reos, qua solebat moderatione, reprehenderat, in domos abiisse suas, et vacuum fecisse Seminarium. Audiens Rector: *Bene habet*, inquit; atque animo mire praesenti, ac sereno precibus institit persolvendis. Inconsultos alumnos post paucum temporis poenituit; quos tamen non admisit, nisi gravi auctoritate interposita, promissaque solemniter ipsius imperiis obedientia, pro tanto piaculo purgando: ne scilicet aut gratia vilesceret, aut Subditos indomitos ab se desiderari juventus illa sui fidens crederet. Certe in hac nostra constitutione mortali nequaquam sperari potest mirabilis haec ad subita quaeque tranquillitas, nisi adsit peculiare Dei privilegium; quod sane conceditur assidue invigilantibus in affectibus animi edomandis. Pro interioribus hisce victoriis juvabat semet nimium quantum Nicolaus, insaeviens in suum corpus assiduo flagelli, et ciliciorum usu. Anticariae vox erat publica, ipsum semet acriter verberatum, noctu descendere consuesse in templum domesticum. Ejus-

dem urbis Episcopus, qua familiaritate cum homine se gerebat, secretiorem ejus cubiculi partem ingressus est, obstupuitque ad ea, quae vidt secreto reposita, ferrea macerationis instrumenta, scuticamque sanguine infectam. Temperantissime cibabatur, et nisi statis temporibus, perquamraro gustabat aliquid, etiam rogatus: qui tamen de rebus id generis, jucunda, speciosaque simulatione voluptatis disserentem audiret; comissatorem eximium, et prae famosis Apiciis gulae deditum studio fortasse suspicaretur. Fuere nonnulli, qui, dum pranderet ille, curiose animadverterent, appositas ipsi dapes hinc atque hinc volventem eleganter; et post magnificum famis apparatum, tenuissimo contentum fuisse alimento, atque ut plurimum a carnibus abstinuisse. Ab amico invitatus ad ferculum ipsi gratissimum, atque optime conditum, venit quamcitissimus, gulae nomen inprimis praetendens: et gustavit quidem; sed nimirum suavem admodum palato cibum dijudicans, causansque ferculum plus justo esse calidum, vas gelida plenum immiscuit; et sic ingratum cum reddidisset, avidissime devoravit. Anticariae Rector ex officio invitavit transeuntes illac Socios, ut secum coccolatum gustarent; caeteris tamen laute habitis, ipse vasculum aquae calidae dissimulanter assumpsit. In itinere ad Anticariam male concidit e mula, et iis duravit ad brachium doloribus affectus, ut etiam ad necessarios in humano commercio motus aegerrime se haberet: nihilo tamen secius

ad

ad sex totos menses a chirurgo abstinens, patientissime toleravit; donec ad subditorum iteratas preces alienis manibus, et voluntati se concessit. Caetera cum bona semper valetudine uteretur; vultus pallor, et macies indicio satis erant, quantis in semet macerationibus insaeviret. Inter has quidem non minimam sibi fuisse, vehementer nonnulli suspicabantur, quod vestibus haud spoliatus cubitum semper iret: nam et noctu saepe audiebatur per domus deambulacra; et si pro infirmi externi confessione quis peteretur, praesto erat ille, aut aures daturus in Sacramento, aut Sacerdotem alium comitaturus; et quo die decretum de Jesuitico exilio nihil expectatus Regius Minister denuntiavit, quanquam tempus adhuc esset somno concessum, in consueta veste Rector inventus est.

Religiosa vota observabat accuratissimus; longe tamen a delicato fastidio, quod solet in animi anxietatem declinare: id enim mirum, quod virtus in illo a natura esse. videbatur. Nunquam non laeto vultu Superiorem imperantem audivit; et quamvis aliis praeesse vehementissime horreret, suscepit, nihil obmurmurans, regimina, quae sibi commissa sunt. Obedientia semper fuit suprema ratio, cui sua quaecunque opera, et cogitationes aptavit: ac siquando in re aggredienda dubium exurgeret, ab sua opinione ad Superiorem provocabat, cujus utique sententiam, securam sibi legem operandi arbitrabatur. Quaelibet sibi commissa imperia, suis

 pro-

promulganda subditis, nulla facta mora denuntiabat; atque antecellens exemplo, suaviter quidem, sed constanter curabat exequenda. Ita praeceptum denuntiavit a Supremo Societatis Praeposito, ne Mexicani Socii pecunias reciperent, quae muneris voluntarii nomine pro sacris ad populum orationibus dari solebant. Inde cum Anticariae Canonicorum Collegium ad Nicolaum misisset unciales argenteos quinquaginta pro quinque sacris orationibus, quas in praecipuo urbis templo quotannis ad ferias esuriales dicebant Socii; amplissimas ille gratias egit, donum tamen, quale venerat, remisit. Quod cum denuo ad ejus manus deferretur, instantibus Canonicis, id non sane pretium, sed grati animi esse signum, talemque fuisse postremam ejus voluntatem, qui moriens annuos illos reditus testamento reliquerat; neque propterea se posse pecuniam eam in alios usus declinare: *Utcunque sint haec*, respondit obediens Rector, *equidem precor illustrissimos Viros*, *habeant me excusatum: omnino enim nobis non est*, *ut donum modo recipiamus*, *arbitrium*. Res erat integra post bimensem, cum a patria discessimus. Cum postrema aegritudine exceptus fuisset, nescio quid tacitae praesensionis habuit, sine dubio moriturum se, si ad Nosocomium deferretur, quod pro tot Sociis infirmis destinatum erat: et quanquam vacua res periculo videbatur, transferri tamen imperavit Medicus. Obediit Nicolaus, tantae virtutis ad mortem usque religiosus cultor. Etiam in Superioris digni-

gnitate constitutus, praestantius credebat aliis inservire, quam imperare: proinde quoties noctu pulsabantur domus fores pro infirmi confessione, nihil ire ipse cunctabatur; neque Socios ab somno patiebatur excitari, nisi secundo Sacerdos postularetur. Etiam interdiu aut ipse confessionum exibat Minister, aut Ministro alteri comitem se praebebat: atque optimi erat exempli, conspicari Rectorem Socii Adjutoris vices facientem, tempus illud aut lectioni, aut sacris precationibus dantem, atque humiliter expectantem, donec Sacerdos ministerio fungeretur. Siquem ex Magistris aut morbo,' aut alio impedimento teneri contingeret, ad subeundum onus promptus erat ille: atque hoc pacto partes omnium suscepit, etiam Ludimagistri; nec minori conatu his muneribus, quam domus gubernationi intendebat.

Augustinus Marquezius paupertatis evangelicae cultor eximius, cum in demortui Nicolai laudes olim vergeret, haec ajebat: *Pauper fuit, qualem esse par est, qui voluntaria rerum humanarum abdicatione ad Christi pauperes annumeratus est*. Pauper esse amabat, pauper videri. Ut in victu, et in cultu, sic in caeteris omnibus, quae sui usus erant, paupertatem redolebat: brevi, ac trita, sed non indecenti veste, dapibus non exquisitis, libris non eleganter compactis utebatur. Quod eo quidem mirabilius erat, quo pluribus abundabat, ultro sibi oblatis ab civium generositate, quos tam praeclarae hominis dotes ad benevolentiam provocabant.

At-

Atque hos curabat compescere, munera recusans interdum; cum autem, id ut faceret, causas praetendere honestas non poterat, eatenus dona suscipiebat, ut amicis, egenisque distribueret. Anticariae Rector cubiculum Superiori destinatum cum parvulo, eoque incommodo, et vilissima ornato supellectili commutavit. In castimoniae laude ad eos recensendum arbitror humanos Angelos, caeterorum hominum et admiratione dignos, et amore; utpote qui mortalitatem cum nondum exuerint, superiori videntur natura progeniti. Sacerdos pietate, ac fide clarus, cui cum eo fuerat in arctiori consuetudine familiaritas, haec asseveranter ad me: *Calatajudius animam bonam sortitus est, et nec ea, quae sunt hominis, contigisse sibi adversus delicatissimum florem castimoniae, mihi profecto notum olim fuit*. Atque eo tendebat certe acerrima illa sensuum custodia: oculos praesertim, quibuscum Jobus pepigerat foedus, ut ne cogitarent quidem de Virgine, tam stricto clausos carcere Nicolaus tuebatur, ut cum Aloysio Gonzaga comparandum omnino quis dixerit. Ab omni mundana consuetudine, quantum poterat, abstinebat: quod ipsum suis etiam subditis, prudenti quidem moderatione usus, omni industria suggerebat: ratus nimirum, id maxime interesse religiosi hominis, qui liberam a fluxis, atque immundis cogitationibus vitam profiteatur. In commercio autem cum sequiori sexu modestus apprime fuit, nunquam familiaris, gravitatem servans, et religiosam dignitatem; quin tamen

amit-

amitteret comem suum, ac suavitate plenum aspectum, quo venientes ad se liberaliter excipiebat. Ad ipsarum domos rarus erat, nisi aut animorum salus, aut ex patriis legibus postularet urbanitas; id tamen brevi semper tempore, nec permissa unquam oculis errandi licentia. Ea videlicet sincere casta cum omnibus agendi ratio, vitaque prorsus Angelo digna, universos Reipublicae ordines alliciebant, ubi ubi esset ille, ut ipsius amicitiam procurarent.

Amore, studio, et observantia erga susceptum ab se Institutum, sane meruit elogium, in quo texendo quamplures convenere Socii cum Augustino Marquezio, perito inprimis religiosi meriti aestimatore: Calatajudium factum fuisse ad Lojolae mentem. Cum praescriptorum lectioni, ac de totius Instituti disciplina commentationi assuevisset; ad ejus normam tanquam ex consuetudine operabatur. Ingenti labore sua scriptum manu reliquit in codice, ubicunque fuit Rector, quid diebus, quid mensibus, quid singulis annis agendum esset juxta patrios mores, et peculiaria domus constituta. Collegiorum etiam tabularia facili disposuit ordine; quod in Anticariensi, rebus oppido implicatis, immensi profecto fuit sudoris. Haec sibi prima cura, vix in domum quamlibet Superior pervenerat, omnino intelligere, qui essent reditus, quae impensae, quae praestanda officia, quae lites; et pro successorum commodo digesta notabat cuncta. Quod sui erat, nihil unquam inopinatum accidit, quod agere debuisset ex

mu-

munere: nam omnia opportuno tempore cogitatione antevidebat; et nequid excideret, memoriae succurrebat industrie. Ad domus, in qua immorabatur, consuetudinem, religiose distribuebat tempus; et quod supererat, sive pietati, sive libris dabat. Ad Socium familiarem ipse olim dixit: *Nihil sibi laboris adjungi, quod plures e suggestu dicendas orationes elaboraret: cum enim nullam diei particulam otio liberam relinqueret, perinde sibi erat, huic operi, alteri ve studio mentem intendere*. Siquis ex familiaribus ad ipsum accederet animi tantum gratia; nunquam id temporis otiose prorsus consumebat: etenim dum colloqueretur, uni alicui vacabat occupationi, quae aliena non esset ab sermone quolibet instituto: quod ea faciebat festiva urbanitate, ut colloquentem non offenderet. In domestica disciplina exigenda, fortitudinem animi suavitati verborum immiscebat: vigilanter praeveniebat, nequa irreperet consuetudo Societatis praescriptionibus contraria: caute, ac perquamraro potestatem exercebat in Subditis a constituta temporis distributione solvendis: et sic tandem obtinuit Superior, ut vigeret maxime Institutum. Frequens erat in Sociorum cubiculis perlustrandis, matutino tempore sacris meditationibus destinato; noctuque dato signo cubitum eundi, num obserata fuisset Collegii janua, suis manibus ipse solebat inquirere. Materna invigilabat cura, nequid aegrotis deficeret sive ad animi solatium, sive ad corporis recreationem: ipsos persaepe adibat,
nul-

nullisque parcens impensis, providebat solicitus, ut exequeretur confestim valetudinarii minister, quaecunque Medicus imperaverat. Universim Superior erat honestati, et rationi addictus omnino: proinde quotquot subjecti erant ipsius potestati; tanquam cum intimae necessitudinis homine, cum illo se gerebant. Eaque propter Josephus Bellidus, vir ut nota religione animi, sic et sagacitate in cognoscendis hominibus, funestum Sociis in exilio dicebat, hunc decessisse, qui desiderandus fuerat pro calamitosis temporibus universae Provinciae Moderator.

Caeterum Deus, qui sapientia, nihil nobis investiganda, mundum regit suum, in ipsis exilii primordiis hominem vocavit ad proemium. Veracruce, ut diximus, navium commoditatem expectanti, febrim tertianam immisit, primo quidem nullius periculi judicatam. Medicus tamen transferri jussit in Sociorum Nosocomium, quod regebat Praefectus, pristinus ille amicus, et sibi pietate conjunctus intime, Augustinus Marquezius. Obtemperavit Nicolaus, mortem sine dubio proximam sibi praenuntians: ut, rebus compositis omnibus, ad familiarem dono miserit, in grati animi signum, thecam suam calamariam, haec insuper scripto adjungens: *Id ad te Calatajudius, qui prius ad aeternum comparebit Judicem, quam tu receperis.* Sexto aegritudinis die, cum debilitatum nimium quantum mane invenisset Medicus, impense flagitavit aegrotus ipse, postremam Ecclesiae unctio-

nem

nem sibi ministrari: cui petitioni annuit Medicus pro vespertino tempore. Qui tamen Medicus ante horam rediens unctioni destinatam, negavit oportere; cum infirmus restitutus esset viribus, nec ultra imminere periculum videretur. At enim, illucescente postero die, cum Marquezius aegrotum conveniret, in agone positum reperit, Ecclesiastico ritu confestim unxit, Deoque proficiscentem animam commendavit. Hanc tandem emisit placidissime Nicolaus Calatajudius tertio decimo Kalendas Decembres, anno septimo, et sexagesimo saeculi vertentis, aetatis autem quinquagesimo septimo fere dimidiato. In praecipuo Veraecrucis Templo sepultus est, ubi tot Sociorum exulum jacuere cadavera. Sapientem, et justum Deum venerabundi adoramus, qui non passus est tantum hominem cum Sociis in exilio, ad afflictorum solatium consenescere.

FRAN-

FRANCISCUS PEREZIUS ARAGONIUS.

ZAcatechi extremi Otomitarum fuerunt ad Occidentem Solem in ea parte Americae Mexicanae, quae hinc Taraschis, hinc Mexicanis Occiduis, qui Xalostotitlanum incolebant, contermina erat. Occupata ab Hispanis Mexico, novaque Provinciarum divisione, novisque rerum vocabulis a Victoribus inductis, ad Orientales fines Novae Galleciae Zacatechi fuerunt adscripti. Oppidum in his condidere Hispani, cui nomen Zacatecarum ab antiquis habitatoribus indiderunt. Quod oppidum clarum profecto est tum incolarum frequentia, tum fodinis argenti, et numero, et miranda opulentia, celebratissimis. Hoc in oppido natus est Franciscus Perezius Aragonius octavo Kalendas Augusti, anno saeculi proximi secundo et nonagesimo. Illustres genere, atque opibus, illustriores pietate Parentes nactus est; qui Franciscum etsi more opulentorum educaverunt, non idcirco obliti sunt, charum hoc pignus, in quo tota erat spes generis, ad Christiani hominis instituta formare. Jam aetate grandiusculus Mexicum mittitur, Novae Hispaniae principem urbem, ut ad Divi Ildephonsi alumnos erudiretur. Ibi postquam rudimenta latinitatis edidicit, philosophiae Magistrum audiit

Cle-

Clementem Sumpsinium, praeclarum doctrina Socium, cujus multa in se officia, et singularem benevolentiam grato, dum vixit, animo recordatus est. Confecta cum laude, atque honoribus philosophia, juris utriusque studio dedit operam; et continuo inter primos illuxit in Regia Mexicana Academia, quae foecunda fuit semper virorum sapientia illustrium. Pluries periculum sui fecit, semper cum laudibus exceptus, tum in Academia Candidatus pro Magisterii non unius tantum generis honoribus, tum inter alumnos pro Seminarii constitutis. Praecipuos tamen sibi comparavit plausus in publicis illis thesibus ante Juris lauream propugnatis: qua quidem laurea juvenis adhuc ex merito insignitus fuit. Per id temporis fato functus erat ejus Pater: et quanquam plura Mexici sperare debuisset juvenis tum a noto suo merito, tum ab arridente fortuna; omnia tamen posthabuit, quo filii optimi officiis erga viduam Matrem satisfaceret. Itaque restitutus in patriam, praestitit illi omnimodam reverentiam, curavitque non interrupta sedulitate, ut marito superstes percommodam ageret vitam, atque in tranquillam senectutem veniret. Et haec in Matrem officia, sane dixerim, Francisco fuisse tantae in suis rebus omnibus felicitatis originem. Jam tunc vocatum se intus a Deo sentiebat ad Societatis familiam amplectendam; caeterum ne Matrem orbam omnino desereret, opportunum tempus non credidit. Quare ut Societatis ministeriis, quo licebat pacto, fungere-

geretur interea, Sacerdotis dignitatem religioso suscepit fervore, confestimque decrevit animorum intendere saluti.

Hacce impulsus cogitatione, petere instituit regendam Paroeciam aliquam; atque opportuno tempore periculum faciens cum pluribus candidatis, renuntiatus fuit, qui Parochus gubernaret Thermopolim, oppidum nobilissimum, quod Aquas Calidas vulgo dicunt, in Galleciae Novae dioecesi. Et multa quidem ibi loci expectabantur a Francisci prudentia, doctrina, et pietate; quas dotes ante ipsius adventum fama praetulerat: cui profecto expectationi satisfecit adeo, ut postmodum, cum Zacatecanensis Parochus defecisset, provectus ille fuerit ad regendam in rebus Divinis patriam, nullo ex pluribus petitoribus, pro tam illustri Sacerdotio, locum tanto merito disputante. Annos aliquot in hoc munere duraverat, religiosae vitae Sacerdos, et ferventissimi ardoris Minister palam dictus ab omnibus; cum nuntiatum est publice: Confluerent Guadalaxaram, quicunque petere vellent in Ecclesia illa Beneficium, quod vulgo nuncupant Canonicatum Doctoralem. In magno Sapientum virorum concursu primus merito apparuit Franciscus; qui sane praemio dignus, unanimi Judicum suffragio, declaratus est. Fuit enimvero vir quidam auctoritate potens, qui, nihil obstante Judicum consensu, rem totam deturbavit; atque alteri tandem collatum est Beneficium. Franciscus, cui superior animus erat fortunae adversitatibus; nullo dato

doloris indicio, primo institit muneri ad Zacatecanenses. Neque post multo idem, quod nuper Guadalaxarae, Durangi in Nova Cantabria Beneficium vacavit. Atque ut in prima petitione, nullus etiam in ista fuit, qui Zacatecanensium Parochum antecelleret meritis; neque vero hic, qui justitiae cursum impediret. Ergo ab Rege cooptatus in Ecclesiam illam, magno bono publico, ingentis gloriae suae theatrum ingressus est.

Paucos vix menses in ea fuerat dignitate, cum Petrus Tapizius, Durangensium Pontifex, probe noscens, quantus erat naturae dotibus, et pietate Franciscus, ipsum renuntiavit Vicarium suum pro universa dioecesi. Quod quidem munus ad plures continenter annos exercuit, et a succedentibus binis Pontificibus, et, cum primi decessissent, a Collegio toto Canonicorum confirmatus: plane rati omnes, nullum Durangi facile inveniendum virum, qui tantos posset humeros oneri tam gravi subjicere. Utique cum id suscepit muneris, invaluerant per eam dioecesim crimina nonnulla, quae Sacerdotum dignitatem, et splendorem non parum obscurabant. Caeterum eo severitatis ardore vitiorum serpentium impetum frangere, ac labefactare obtinuit Franciscus, ut exiguo mox tempore, quisquis ad bonam frugem recipere se nolebat, malus tamen non videri apprime curaret; ne in caput suum poenae fulmen a constantissima Vicarii strenuitate veniret. Qui Vicarius nocte intempesta personam induens alienam, in ea con-

contendere loca non dubitabat, in quibus cum status dedecore minus honeste versari Ecclesiasticos, aut sciebat praemonitus, aut suspicione odorabatur. Nec sua contentus vigilantia, rogabat opem ab Regiis Magistratibus, quibus facultatem praebebat, ut, siquem sacris initiatum noctu invenirent, in suae conditionis opprobrium, male agentem; illico juberent comprehendi, ut ipse deinceps meritum pro delicto supplicium decerneret. Atque inventi sunt ejusmodi noxii nonnulli, qui sive genere illustri, sive potentium virorum patrocinio fidentes, poenam effugere speravere; sed in manu Francisci justitia erat instar gladii, vitiatum secantis membrum, quin personam respiciat. Ita cum ad Vicarii tribunal neque crimini esset impunitas, neque omnino valeret auctoritas; brevi per universam Durangensem ditionem prodigiosa morum mutatio consecuta est. Nec rigore duntaxat, sed prudenti maxime agebat consilio. Quod etiam manifestum fecit in duobus insimul muneribus adimplendis: nam Sacerdos Doctoralis, Collegii sui partibus tuendis, officio destinatur; Vicarius pro Pontifice stare debet; nec tamen aut a Pontifice, aut a Collegio querelae auditae sunt, quod ab suis unquam partibus Franciscus defecerit: notum enim omnibus, mira ingenii dexteritate praeditum hominem, nulli prae altera fauturum parti, atque in dirimendis litibus, vel in semet pro justitia decertaturum. Hocce integrae justitiae nomine, quam plures comitabantur et ingenitae dotes, et comparatae

 vir-

virtutes, ad communis benevolentiae, ac plausuum fastigium elevatus est; sed praesertim Martinus Elizacoechea, Durangensium Episcopus, eo dilexit, ac magnificit hominem, ut nihil sibi esset in arcanis, quod illi non crederet. Haec tamen Pontificis benevolentia, quod solet inter infirmos mortales, invidiae fuit Francisco: fuit enim inter ipsos Collegii sui, Sacerdos ipse, qui cum illum pluris, quam se, fieri videret, nullam effugere sinebat occasionem palam contemnendi Vicarium, atque ejus exercendi patientiam. Ille, ut erat christiana ornatus generositate, injuriam tacitus tolerabat, unumque quaerebat intentus, qua posset ratione, coortam in adversarii animo tempestatem sedare. Opportunam invenit occasionem, cum provectus fuit in eodem Collegio ad dignitatem, quam Mesochori solent appellare: nam cum moris ibi sit, quemlibet auctoritate gravem invitare, qui ad dignitatem cooptatum in possessionem mittat; Franciscus, praetermissis amicis omnibus, adversarium illum elegit, cui signum hoc daret honoris, atque amicitiae: qua sane magnanima generositate obstupefactus adversarius victas dedit manus, livorem sincere deposuit, et constantem subinde, nulloque non amicam indicio necessitudinem suffecit.

Et praesagiebantur ab omnibus tanto viri merito majora his proemia; quin etiam Episcopalis ipsa dignitas, ad quam inter digniores Americanos, non vulgaribus litteris, ab Elisacoechea, et aliis Regi commendabatur: verum

con-

constituerat jam mundi castra deserere, atque omnibus, quae plura possidebat, nuntium remittere, ut Christum sequeretur, qui multos jam annos, ut supra demonstravimus, ad Jesuitarum familiam illum invitaverat. Impedimento fuerat hactenus vidua Mater; qua dudum e mortalibus ablata, suum tandem aperuit animum Provinciae Moderatori. Nec rem tanti momenti litteris duntaxat volens agere, bis iter aggressus est Mexicum, ut praesentia sua petitioni superadderet efficaciam. Nihil dubitabat Provinciae Praeses, quantus futurus esset Societati splendor a tam illustri candidato; cujus tamen votis annuere non est ausus, nisi procurato primum Pontificis Durangensis consensu. Negavit iste semel, et iterum, ea causans, tali se viro, quem Dei benignitate possidebat, aegerrime spoliandum; cui nimirum totum ferme gubernationis pondus remiserat; qui lumen erat Collegii sui; dioecesis oraculum. Ea cum justa viderentur, necessarium credidit Moderator, Societatis fores petenti obstruere, quantumvis illas ingenti desiderio pulsaret. Caeterum cum Dei vocem intus ille sentiret, nihil animo concidit, quod repelleretur ab hominibus; quin rogare, obsecrare, urgere instituit. Opportune per id temporis clavum Provinciae regere imperatus est Christophorus Escobarius, amicitia conjunctissimus cum Francisco. Erat Christophorus grandi clarus animo, Finguindini natus, quod parvum oppidum est in Michoacanis, nunc tanto viro nobile: qui vir eximiis dotibus, atque

 actis

actis rebus pro Deo, Rege, et patria, duraturam sui memoriam toti Novae Hispaniae reliquit. Et hic Escobarius, ardua quaelibet assuetus aggredi; triumphare tandem potuit, atque a Durangensi Pontifice consensum extorquere: cum ei nimirum exponeret reverenti firmitate, quam vehementer Vicarius ejus Divino impulsu agitaretur, ut abstractum a mundanis curis animum ad aeternam cogitationem traduceret. Hac utcunque superata difficultate, nova supervenit in aetatis annis, quos ultra quinquaginta Franciscus numerabat: eaque propter, nisi legem solveret de Sociis non admittendis in ea inclinante jam aetate, qui valebat unus, Praepositus Generalis; petentis votis omnino satisfieri non poterat. Ergo litteris ad Generalem Escobarius exposuit: quali esset auctoritate candidatus, quantis ornatus dotibus, quam robusta corporis constitutione, quae cum fructu posset adhuc Evangelicis vacare sudoribus, quam de Societate benemeritus, quantoque arderet amore in Parentem Ignatium, cujus novendialia quotannis impendio non modico celebrabat. Facile annuit supremus Moderator, cujus propitium responsum Escobarius accepit tum profecto, cum Durangense Collegium pro munere visitaret. Incredibili plausu Franciscus excepit jucundissimum nuntium; et confestim prae gaudio, quos jure mancipii habebat servos, omnes manumisit: inde arripuit iter Mexicum ea solemni pompa, et magnifico apparatu, tanquam summi Magistratus possessionem adiret.

Anno

Anno tandem saeculi vertentis quadragesimo quinto, pridie Kalendas Augusti, qui dies Lojolae festus agebatur, Franciscus annos natus tres, et quinquaginta, Tepotzotlanense tirocinium ingressus est. Sed antequam tironem videamus, omittendum non censeo pro historiae fide paucis lineis describere, qualis fuerit in domestica consuetudine ad annum quinquagesimum tertium; quo etiam miremur instar portenti, qualis post hanc aetatem devenerit. Ut fuerat in opulentia natus, et praeter eos, quos pingues habuit proventus Ecclesiasticos, abunde ministrabat pro lauta vita, et delitiis omnimodis patrimonium; nondum in istiusmodi rerum contemptu, et suimet afflictatione, Christi crucem portare didicerat. Pro status ratione non mediocrem pecuniae summam et pauperibus erogabat, et pluribus aliis pietatis exercitiis impendebat; sed quoniam mundo nuntium non dederat, nihil malum credebat, in victu, et vestitu omnino genio indulgere. Cella penuaria referta semper erat iis omnibus, quae posset expetere: coquum exquirebat famoso nomine, qui et optime exerceret officium, et mundissima elegantia uteretur: neque tamen vel maximi conatus, vel artis peritia, vel rerum abundantia pro delicatissimo hominis palato satis erant: ut Mater tandem cum frustrato desiderio decesserit, filio gratulandi aliquando, quod ferculum aliquod sapidum, ac jucundum ei fuerit; etiam ex iis, quae suis ipsa manibus condiebat, si forte probarentur. Huic in epulis aut luxui,

 aut

aut nimio fastidio, respondebat quid simile in corporis cultu: exterior quidem vestitus colore honesto, atque ea forma, quae ab status gravitate non abhorreret; materies tamen ex villoso serico, lanea interdum, sed mollis, et optima, atque ab sartore summo elaborata. Lintei sindones, indusium, et alia juxta carnem, ex tenuissimo linteo, et quae ob disparem aliquam suturam neutiquam evaderent paulo asperiora. Universim gravem, sed mundissimam elegantiam toto corpore repraesentabat. Ad haec, quod supra demonstratum est, ob ingentes alias virtutes in amore fuit Antistiti, atque omnium ordinum civibus: etenim quod ab alea praecipiti, et nefario pellicatu aliquos, qui peccarant divellere tentasset, atque adeo in perditorum odium venisset; paucorum id certe fuit: caetera bonorum omnium reverentiam, et plausum sibi maxime conciliavit: quod palam fecere Durangenses, cum ad postremam ille in suo Collegio dignitatem evectus est; quam, ipso absente, tinnitu festo aeris campani, pluribusque aliis publicae laetitiae indiciis celebravere.

Et hic nimirum homo tanta ab initio facilitate, tironis virtutes, atque asperrimam vitam amplexus est; ut in iis educatus, ac longe exercitus videretur. Utique post paucos dies horrendis moestitiae tenebris obrutus fuit, atque inde pronus ad consilium terga Societati vertendi; sed lucis oborto radio, aeternum sedata est tempestas. Mirum erat illum aspicere, nullo

aeta-

aetatis jam prope senilis, aut innatae gravitatis questu, puerum inter pueros fieri, quales eos Christus jubet, qui ad aeterna gaudia nituntur. Qui nunquam nisi imperare didicerat, obedire coepit obsequentissimus, non solum Moderatori domus, ac Ministro; verum etiam tironi cuilibet, in quo vel umbram auctoritatis animadverteret. Si forte interdum, ut inter pueros agenti, non debitam sibi praestari reverentiam intelligebat; tanquam non intelligeret, demissus tacebat. Ad pauperum sedebat triclinium; manducabat, ut inter pauperes, vilia, nec raro ingrati saporis obsonia; sordes e cubiculo, e deambulacro verrebat; prandentibus ministrabat; lances abstergebat; in humili quiescebat cubili; lodice, ac linteis operiebatur, quae asperitate cilicium sibi erant; modicum habitabat cubiculum, non alia praeter pauculos libros instructum supellectili, nisi omnino quam Sunamitis illa pro Elisei coenaculo paravit. Et erat interea tanto animi gaudio, ut non interruptis laetitiae signis internosceretur in vultu: nec unquam in ea vertit oculos, quibus ut terga verteret, ad religiosam tenuitatem confugerat. Quin et desiderium caeteros tirones in omnibus insequendi, et paupertatem colendi, satis olim demonstravit domus Moderatori: nam cum tirocinium adiens, tres arcas portasset secum tenuissima re lintearia refertas; Moderator ille pro novi tironis aetate, et conditione custodi vestium imperavit, ut ipsi, qui tulerat, ea ministrasset, memor nimirum, hoc ipsum jam a

prin-

principio consuevisse Ignatium, qui opulentis, ac delicatis Novitiis pretiosas vestes, donec ipsi consumerent, relinquere solebat; quae cum jam attritae usu erant, pannosos mittebat per plateas romanas ad ea officia, quae Tironum propria sunt. In quibus pretiose pannosis vestibus major, et luculentior erat ipsis probatio duraturae virtutis. Quod Francisci tironis est, nihil erat, quod publicos offenderet oculos, nec enim, qua subucula uteretur, videre quis poterat; verum offendi se existimavit tironis virtus, qui re inopinata perculsus, eo vehementer in semetipsum pro paupertatis legibus apud Superiorem oravit, ut ab eo decretum extorserit, secum in cultu corporis tanquam cum uno ex omnibus agendum. Tam absurdum credidit, vestiri eo rursus, quo semel pro Christo se spoliaverat! Haec tironis Francisci fuere initia, quae profecto nullus credat tanquam fluxae, ac temporariae virtutis fervores: nam ad ipsos viginti tres annos, quibus vixit in Societate, non solum studiosus cultor paupertatis fuit, nec duntaxat ex Parentis Ignatii praescripto persuasum habebat, id sibi futurum, quod domi esset deterius; verum etiam conatu maximo insistebat, aliorum rejectanea tanquam proprio jure sibi danda. *Equidem sum mollis, ac delicatulus* (ad Superiorem semel, et iterum causatus est) *lintea, indusia, et quidquid novarum vestium est, quoniam carnem afflictant, induere non possum: itaque precor, imperes, ut ea mibi dentur, quae aliorum usu attrita sint*. Ita factum est, ut novum

vum indusium non vestierit, nisi post latum exilium; cum de antiquo suo jure decedens habendi, quae alii rejicerent, a domus Ministro duas admisit subuculas, nimirum ex illis, quas pii aliquot charitatis nomine profecturis immiserant. Ut primus illi fuit scopus animi motus domare; caetera potuit facile in praescriptionum enitere custodia: porro singularis apparuit bono exemplorum odore, in illo etiam viridario, ubi tot virtutum flores enascebantur. Macerabat carnem flagello, et cilicio; nocturnae quietis tempore non raro sternebatur, aspera duntaxat culcita super nudis tabulis protensa; edebat frequenter, sive in dimidio sedens triclinio, sive ad eorum pedes, qui in mensis considebant, sive genibus etiam nixus. Generatim nullo usus est aetatis privilegio pro demissionis, aut afflictationis operibus, ibi loci quotidianis: quae profecto quanquam omnibus communia, elucebant maxime in Francisco tum ob peculiarem fervorem, tum ob venerandam auctoritatem.

Post emissa singulari gaudio biennii vota, Mexicanam Professorum domum contendere jussus est; in qua vixit ad viginti annos egregii operarii nomine. Solummodo paucorum mensium intercapedine Durangi moratus est: cujus itineris ratio fuit ejusmodi. Topia, et Tepehuana, quas in Provincias Evangelii facem intulerant Socii, atque in longam annorum seriem sudoribus excoluerant, cum ad pacati gregis formam redactae jam essent, decrevit Provinciae Moderator, eas Regi nostro tradere, ab

Sacer-

Sacerdotibus externis administrandas; quo Socii plures possent novis Ethnicorum messibus colligendis intendere. Nonnullae poterant difficultates occurrere, quo tempore illae committerentur Petro Anselmo Zanchezio Taglio, tum Pontifici Durangensi, cujus erant in ditione reddendae Provinciae. Nec ullus Francisco aptior inventus est, qui negotium procuraret, tum ob egregias animi dotes, tum ob diuturnam rerum peritiam, tum ob sibi comparatam olim in illa urbe, ac Provincia universa auctoritatem. Ergo munus fidei suae creditum obsequenter accipiens, denuo ille rediit ad priscum gloriae suae theatrum; quod sane ingressus est, praedicans exemplo civitati salutaria consilia. Idem homo, quem antea viderant Durangenses in amplissimo constitutum munere, per vias urbis constipatum famulis exspatiari, magnifica rheda gestari; sine ipsorum ingenti stupore videri certe non potuit, cum venit mulo insidens meritorio, ad pauperum morem ephippiato, servulis binis pro tanto itinere comitatus, collo pendentem portans imaginem Jesu cruci affixi, lacera indutus veste, vili coopertus lacerna, immani tandem, atque usu attrito contectus pileo, qui profecto satis unus esset, a quo populi sanna provocaretur. Verumtamen longe aliter accidit: nam tota fere confluxit civitas, illum plausibus exceptura; non parum dolente hominis modestia, qui coactus toleravit honores, eo quidem sibi ingratos, ut, ad Collegii januam cum pervenisset, conversus ad Sacerdotii Primores, collegas

pu-

nuper suos, aliosque primae notae viros, quos ad eum usque locum comites habuerat, rubore suffusus in haec eruperit: *Equidem vobis pro vestra urbanitate gratias ago; vellem enimvero, animadvertatis, nihil me ultra esse, nisi pauperem hominem, religiosis votis obstrictum: propterea suppliciter vos oro, ne rursus vosmetipsos afficiatis molestia, ne senem immeritum humanis officiis prosequamini, ne tranquillitatem meae solitudinis perturbetis*. Non id offensionem, sed stuporem potius audientibus attulit, qui mente concipere non satis poterant, quas efficit mutationes Dei spiritus, cum in hominis animum vehementer se insinuat. Quidam e summo Collegio Sacerdos, jampridem illi familiaritate conjunctus, lautas epulas, amicitiae signum, dono misit. Franciscus autem sincerae hominis in se voluntati confidens, atque in posterum volens pro caeteris documentum statuere; remisit amico munus, ac se se officiosissimis excusavit verbis, quae satis indicarent, quantum ab ejusmodi abhorreret, quae sibi vel ob anteactam dignitatem, vel ob priscas consuetudines praestarentur. Et eo ipso tempore, quo per totam urbem quaerebatur honoribus, demissionis officia ipse sibi domi aucupabatur. Durangum pervenerat Socius quidam, qui transiturus ultra, diu in illa civitate constitit, febri tertiana male divexatus: huic inservire, tanquam debitum sibi munus, Franciscus assumpsit; curabat afferri medicinas, has ipse ministrabat, cibos e culina portabat, lectulum sternebat, cubiculi sordes

ever-

everrebat, lasanum etiam purgabat. Atque ea dum efficeret, talem patientiam, charitatem, et verborum moderationem adhibebat, ut aegrotus, etiam importune, ad se illum accerseret, ejusque opera fidentior uteretur, quam si esset sibi conductus e gregariis famulus. Profecto Sacerdos ipse post multos deinde annos fatebatur, ab illarum febrium furore se se evasisse, quod tanta fuisset demissione Franciscus.

Postquam hic ad multos menses negotium de Tepehuana, et Topia tradendis, apud Pontificem Zanchezium agitavit, devenire tunc temporis ad optatum exitum non potuit illa Provinciarum redditio; quae tamen post annos aliquot executioni fuit mandata. Ergo qui Durangum eo nomine missus fuerat, domum regredi Professorum jubetur. Erat haec domus perpetui laboris officina; in qua Socii prae caeteris Mexicanae Provinciae Collegiis insudabant, assiduisque ad populum de re christiana orationibus, diuque ac noctu sacro Confessionum ministerio intendebant. Quod si alii, qui et firma vigebant valetudine, et Theologicis operam recens dederant, nihilominus ferre vix poterant immensum illud pondus; intolerabile sane debuit esse venerando Seni, qui et provectae aetatis incommoda jam sentiebat, et vitae curriculum egerat hactenus omnino contrarium. Utique potuisset, quin vel minimum laederet obedientiae perfectionem, Superiorem precari, ut, quoniam anni jam gravescerent, nec usu edoctus fuisset ejusmodi ministeria; mitteretur

alio,

alio, ubi religiosum onus mitiori incommodo subiret. Longe aliis cogitationibus mentem ille pascebat: etenim post praescriptam meditationis horam, et rei sacrae celebrationem, mane quotidie se se expediebat, quanto citius fieri poterat, ab aliis occupationibus, ut accedentes ad confessionem longiori tempore audiret. In hoc sacro Tribunali circumcinctus humili, et contempto populo fere videbatur; quicum scilicet limpidius exercebatur charitatis fervor. Audiebat patiens, loquebatur comis, curabat vulnera suaviter peritus: quod eam homini aestimationem comparavit, ut quotidie incresceret adventantium numerus, qui suam ab illo regi conscientiam exorabant. Animadverterat jam, se vocari nominatim ad aegrotos plures confessione expiandos, quos nec facie unquam noverat; ac tandem comperit, in causa ipsos esse, qui frequenter ad se accedebant: nam cum illum sibi experirentur peritum, et suavem Medicum, vix in vitae periculo constituebatur aut propinquus, aut amicus, continuo suadebant, ut se se, pro morbis animi curandis, ejus potestatî subjicerent. Ita crescebat ipsi messis, quanquam ingenti sudore colligenda. Et haec de confessionibus illis, quibus vel foris expetitus, vel domi sponte intendebat: pro pluribus aliis die, noctuque a Superiore jubebatur; quin unquam satis judicaret vir obedientissimus, ut excusatus haberetur, aut Solis ardores, aut decidentes pluvias, aut loci lònginquitatem, aut adversam valetudinem, aut exulceratas pedis plantas, aut

cal-

callorum dolores, quibus afflictus videbatur interdum tanquam per spinas incedere. Per id temporis primus antiquitate jam venerat in Canonici Juris laurea: id vero moris est, ut in qualibet scientia Doctor antiquissimus ab universo Collegio *Decanus* appelletur; quae *Decanatus* dignitas ut negotia non modica Decano importat, ita et aemolumenta non levia. Appellatus itaque Franciscus renuebat firmiter utrumque; sed a Provinciae Praeside coactus novum suscepit onus: nam incumbebat pro munere saepe praeesse thesibus illis, quibus petitur laurea; quandoque argumentari; semper interesse tum probandis periculo summo Candidatis (quod apud Mexicanos Atra Nox appellatur) tum probatis in Collegium Doctorum cooptandis, tum aliis etiam academicis officiis ex iis, quae habentur graviora. Neque vero propter novas hasce occupationes, auditum unquam est, cum pro confessionum ministerio mitteretur, praesto non fuisse.

Ita semper erat paratus pro sacris orationibus, quas elaborare Superioris vox imperabat: recusavit aliquas, non quod laborem fugeret magnanima virtus, sed quod honores abhorreret demissio. Propterea Superiores infimis rogabat precibus, ne se concionari vellent ad ea solemnia, quae gravem auctoritate Oratorem flagitabant; pro aliis autem se se libenter offerebat, quantumvis infecunda materies difficultatem adaugeret. Famosa hoc nomine oratio in Professorum templo quotannis dicebatur de Jesu

Cere-

Coronae Spina, quam Sodalitas Bonae Mortis feria tertia Majoris hebdomadae publice colendam eliciebat. Et haec Francisco pluries ministravit demissionis, et charitatis materiem: nam et oratio erat, quae nomen, et honorem non afferret; et sibi ambiens, quam plures refugiebant, alienum onus, qua poterat, allevabat. Neque tamen, quod saepius ad eamdem concionem diceret, idcirco auditus unquam est, dictam semel e suggestu orationem repetere: sive fastidium generare audientibus timeret; sive eamdem recoquere crambem erubesceret; sive hanc esse nimiam suo genio indulgentiam existimaret. Quod sane potuit, cum domus Minister desiderio impulsus laborem ipsi minuendi, misit interrogatum: Quas haberet pro praeteritis annis elaboratas orationes? Ut scilicet illum ad eadem festa Oratorem pro praesenti tunc anno renuntiaret. Ad haec Franciscus. *Nunquam equidem gratias pro tanta in me humanitate satis agam; verumtamen sciat, velim, beneficus homo, qualescunque mihi habendas edixerit, novo me intenturum labori: eatenus enim ad Apostolicam vitam confugi, ut insudarem, non ut requiescerem: proinde imperet ex arbitrio suo; libenter obediam.* Tantis onustus laboribus annum saeculi vertentis attigerat sexagesimum secundum, cum pervasit Mexicum febrium contagio. Saepius memorare in calamum veniet, quale tunc Sociorum sudoribus theatrum apertum sit; qui diu, noctuque non cessabant ab expiandis confessione moribundorum criminibus. Et quanquam sa-

tis haec essent, quae vel robustissimos fatigarent, acriter intendebat labori Franciscus; animi fervore in devexae aetatis debilitatem pugnante. Septuagesimo natus anno, mane tempestive domo exibat, populi corona circumdatus, et nihil valetudini consulens, discursabat anhelus, quocunque vocaret afflictorum necessitas; post prandium etiam, atque ad multam noctem protracto charitatis ministerio. Contagione tandem et ipse correptus est, atque illico vis morbi caput occupavit. Nec tamen eo minus dedit boni odoris exempla: nam siqua deliramenta loquebatur, ea erant solummodo vel de absolvendis criminibus, vel de linteis, et pulvillo, quae reliquisse dicebat, ubi confitentes audierat. Ita quae totus cogitatione volverat, dum valebat; eadem mentis etiam impos agitabat. Voluisset ille (quod extimuimus profecto) vitae sacrificium offerre irato Numini; quae vita caderet pro animorum salute charitatis victima. Sed qui ad majorem calamitatem reservarat illum Deus, a mortis pene faucibus jacentem extraxit; ut vitae mirabilis exemplis adhuc per annos pauculos fungeremur. Nunquam vero ad statum pristinae valetudinis redire potuit; qua valetudine novis in dies infirmitatibus fracta, interdum Superioris imperio cogebatur in lecto decumbere: vix tamen paulo meliuscule se habere sentiebat, ad laboriosam vitam regredi nihil dubitabat.

Erysipelate laborabat, nec proinde cubiculo exibat, cum exulare a patria Jesuitas imperatum

ratum est. Vix illi notum fecere, Regio nomine Socios omnes vocari, contendit cum caeteris in Sacellum domesticum. Audiit, ut par erat, reverenter decretum; ac demissione profunda renovavit Supremo Numini suimet Sacrificium pro venturis calamitatibus, quas facile praesagiebat. Remoto Judice Regio, qui legem de exilio nuntiaverat; cum altissimum ab omnibus esset silentium, Franciscus ad Socium carcerum Praefectum, cui munus fuerat, capite damnatos, ad triduum in Sacelli custodia detentos, officiosis cohortari verbis, atque ad beatam mortem comparare: *Ecce* (subridens, inquit, atque ultra modum laetus) *ecce tui juris nos omnes: in Sacello sumus: agedum, munus tuum incipe*. Quod cum ab homine mirae gravitatis audiretur, qui nunquam ad facetias vergere solebat; et caeteris illuxit serenitas, et luce clarius patuit, animo illum esse ad subita quaevis imperterrito. Versus meridiem facultate data, ut in cubiculum recederet, continuo dedit operam, parando itineri: totum illi erat viaticum libri pauculi de rebus divinis, et vilis arca, in quam domus Minister intromisit rem ejus lintaeriam, omnino dignam pannoso paupere. Post triduum debuisset proficisci cum Sociis, nisi Mexicanus Praetor, de hominis aetate, conditione, atque aegritudine monitus, humaniter imperasset, illum manere Mexici, donec sanitatem recuperaret. Aegerrime tulit Franciscus, quod ab suorum Societate revelleretur; assuetus tamen obedire, cum infirmis aliquot ad

Nosocomium transivit, quod ibi gentium administrat religiosa Familia, Bethleemitarum appellata. In eo fuit ad quinque menses, quos ille quinque saecula existimavit; quanquam nulla non comitate, nullo non officio exceptus fuerit ab optimis illis hominibus; ut sane fuere caeteri, quibus feliciter contigit in tantae charitatis diversorio collocari. Nec defuit eo tempore, qui et senectutis, et afflictae valetudinis misertus, vehementissime suaserit, atque impetrandum promiserit; si fortasse vellet in alia Coenobitarum familia, paulo commodius illos Mexici transigere annos, quos non futuros plures, ab aetate ipsa devexa sane timendum erat. Ille autem severe pronuntiavit: *Indignum sane viri religiosi nomine illum arbitror, qui commoditatem sibi uni quaerat, ne Socios comitetur in adversitate, ac periculo constitutos*. Itaque quanquam erysipelas magis in dies urgeret, ac praeterea supervenisset fluxus ventris, febrique correptus diu jacuisset, non cessabat instanter deprecari, ut sibi liceret iter aggredi, atque inter Socios exules postrema emittere suspiria. Recens erat a memorata febri, cum in secunda cujusdam noctis vigilia ecce a Praetore imperium: Socios qui morabantur inibi, postero die paratos inveniri, ut Veramcrucem transveherentur. Duos tamen et senecta, et morbis impeditos excipiebat humana imperantis charitas; profecturos postmodum Angelopolim, ut exilii loco illis esset Sancti Spiritus Collegium, Jesuitarum olim. Franciscus ex duobus unus, re-

ve-

verenti moderationi admiscens integritatem, plane respondit: *Se Dei beneficio esse robustum* (et erat sane animo, ac religione) *velleque, quantumvis in itinere vitam poneret, patria extorres comitari Socios: proinde grato aeternum animo, Praetoris humanitatem se prosecuturum; cujus tamen uti nolebat privilegio, quod non confertur invitis*. Hoc dato responso, mire tranquillus duravit in lecto, donec insequenti die ad statutam horam surrexit solicitus, atque ultra modum laetitia exultans, cum caeteris contendit Veramcrucem. Tertio tandem Kalendas Februarias, anno saeculi currentis octavo, et sexagesimo, patrio regno valedixit, Havanam versus iter arripiens milliariorum ad nongenta: ubi paulo plus mense cum requievisset, mari se rursus dedit, nihil pro longissima via territus ad Hispana usque littora. Et hoc toto navigationis tempore fuere nonnulla virtutis ejus documenta. Navim ingressus, locum pro suo lectulo noluit eligere; sed data caeteris optione, sibi assumpsit, quem omnes contempserant. Forte habuit tectum sub cellae penuariae solo: et cum, irato mari, oppido quassaretur undis navigium, et vasa fictilia rumperentur, in quibus mel asservabatur; melle per tabularum rimas insinuante se se, lectulum ejus horrende foedatum est. Acerbius contigit, cum, sive casus fuisset, sive navitae alicujus improbitas, ejusdem lectum matella effusa coinquinavit. Nec in iis, nec in aliis eventibus, qui crebro admodum exercent navigantium patientiam, vel

expostulatio levis audita, vel primus irae impetus in venerando illo sene visus est.

Idibus tandem Juniis anchoras jecit ad Gades, atque inde transductus fuit in Augustinianae Familiae coenobium, in propinquo situm portu, cui Mnestei nomen. Et hic humor ille salsus, qui diu in rubentis ulceris inflammatione ipsum cruciaverat; postremo ad caput erupit, periculosam secum portans impetiginem, quae trans aurem sinistram per cervicem deorsum serpens, pene sub ejus lateris axilla consedit, ibique plagam aperuit magnam ingentibus patientissimi hominis doloribus. Brevi cognitum fuit, morbi venenum interiori carcinomate devenisse mortiferum; cujus profecto nullum, nisi probabile remedium in artis chirurgicae salubri crudelitate. Rem serio secum cogitans Franciscus, valetudinem suam, et vitam ipsam corporis tanto non esse dolore dignam credidit; et mori potius decrevit, quam Chirurgorum lanienam experiri. Verumtamen Superior, qui plus ipso aegroto vitam ejus aestimabat, quam vitam sperare dabatur tuendam, licet gravissimorum cruciatuum impendio; pro potestate severe jussit, ut omnino se traderet chirurgi manibus. Tunc ille, plura nobis in uno actu relinquens virtutum documenta: *Ecce me*, inquit, *secate ad arbitrium; quidquid volueritis, de me facite: dummodo Deus propitius mihi sit, atque inter Socios mori patiatur, equidem satis contentus ero*. Atque ita sane dulce illi fuit perarduam obedientiam amplecti, et vitae sacrificium offer-

ferre, nihil jam resistens operae cruentae, atque acerbae. Hanc incepit Chirurgus, afflictam partem scarificationibus compluribus adaperiens, atque ob tumoris duritiem vehementer manibus premens, tanto quidem patientis dolore, ut temperare a clamoribus non potuerit; sed tanta insimul fortitudine, ut lecto innixus constiterit, nec levissimum toto tempore intentans motum, etiam ex iis, qui a nolentibus elabuntur. Post artis vulnera, rodentes pulveres plagae appliciti, nimium quantum adauxere tormentum: et miser ille tanto fuit horrore occupatus, ut suo certe arbitrio nunquam ultra insontem suum carnificem admisisset. Sed vix Superior loquebatur, confestim heros invicta tolerantia se se cruciatibus offerebat; qui cruciatus, nunquam vi remittente, ad duos circiter menses protracti sunt. Aspernabatur debilis jam natura tum medicamenta, tum cibos; eos tamen reluctantes motus vincebat semper Superioris vox, nedum imperantis, verumetiam indicio quolibet voluntatem aperientis: cujus quidem obsequio, pene ad unumquemlibet anhelitum, abnegati sui arbitrii sacrificium iterabat. Ingravescente in dies morbo, de vita demum desperatum est; quam ille allatam notitiam suscepit exultans, et statim alte inclamavit, Deo gratias agens pro impetrato beneficio, quod in sinu Societatis, et Sociorum amplexu moreretur. Sacerdotem a confessionibus vocavit, apud quem pauca dixit mirabili conscientiae serenitate, internae puritatis indice. De viatico administrando, postre-

ma Unctione, caeterisque, quae ritu Ecclesiastico moribundis praestantur; omnia Superiori commisit; ut qualis in vita fuerat, talis ab ea recederet, Moderatorum obsequens voluntati. Morti jam proximus, omnino patuit, quam esset in illa hora tranquillus animo: Superiorem consuluit, num res momenti levissimi sibi liceret? Cui cum ille annuisset, extremus conflictus agentem intercepit. Jesum Eucharisticum, et sacram Unctionem singulari sumpsit pietate; inde animo mire sereno respondit precationibus, quibus Deo Mater Ecclesia filiorum Animas in agone positorum commendat. Post paucum temporis pace plenus, atque interno illo gaudio, quod beatam piissimorum hominum mortem solet comitari, nono Kalendas Decembres, anno saeculi currentis octavo, et sexagesimo, tertia ineunte noctis vigilia, magnam efflavit animam, sex et septuaginta natus annos, ac fere dimidium; quorum viginti tres, et menses aliquot ad Socios adlaboraverat.

Satis quidem fuissent, quae diximus hactenus, ut tanti hominis memoriam delabi non patiamur; sed pauca liceat addere de quibusdam singillatim virtutibus. Et eas tantum memorabimus, quae subjectae fuerunt Sociorum oculis, quibuscum diu vixit contubernalis: nam internas illas, quae caeteras regunt, et maxime Christianum efficiunt, utique ab externis argumentamur, felicissime radices egisse in ejus animo; nihil vero speciatim de illis audemus pronuntiare, cum decesserint, qui noverant intus ho-

hominem; et ipse alias, quod suarum erat virtutum, altissimo silentio celaverit. Celare non potuit indefessam constantiam, qua religiosae temporum distributioni nunquam non promptus intererat. Abrumpebat frequenter, quod supra demonstravimus, nocturnum somnum, sive nomine vocatus esset, sive a Superiore designatus, pro confessionibus aegrotorum audiendis: multas etiam noctes agebat insomnes afflictae valetudinis causa; nunquam tamen praetermittebat mane ad statam cum caeteris horam consurgere, praescriptae in Societate meditationi vacaturus; idque tam celeri fidelitate, ut cum secundo pulsaretur aes campanum, sacrae meditationis incipiendae signum; jam ille pia religione Jesum Eucharisticum ad Sacrarii fores visitaverat. Neque vero quod ad populum dixisset, admisit unquam consuetum privilegium, postero die serius e lectulo insurgendi. Eadem intendebat diligentia discutiendae bis quotidie conscientiae, ac libri alicujus lectioni, qui de animo in divinis perficiendo tractaret. Quae profecto exercitia neque tunc omisit, cum navigationis tempore procellae insaevirent; mirantibus quidem, qui animadvertebant hominem inter eos etiam tumultus, insuetum ejusmodi malis, dare tamen operam animo reficiendo tranquillitate pari, atque haec ageret in otio cubiculi. Solet ut plurimum (quae misera est hominum conditio) adversa valetudo luctari in disciplinae religiosae sanctitatem; et qui non bene sunt animo constituti, atque in via perfe-

fectionis roborati, facile causantur, male se affectos esse, ut propterea eximantur ab onerosis praescriptis. Franciscus ad plures annos valetudinarius, atque annis jam gravis, communem Sociorum vitam eo insequebatur conatu, quo in robustissima fecisset juventute. Obediens Dei voci, quam audire existimabat in aeris campani sonitu, contendebat statim, quo vocatus erat; quamlibet, cui forte daret operam, intermittens occupationem. Postremis vitae suae annis, cum animadverteret Superior, quanto labore, atque etiam periculo, propter virium debilitatem, scalas conscenderet; decrevit ipsum solvere ab iis exercitiis, pro quibus opus erat descendere. Ille tamen, qui cum de insudando agebatur, nihil interponens obediebat; ut concessum sibi privilegium audiit, toto animi ardore testatus est, pro quolibet adhuc idoneum se labore, firmiorique fungi valetudine, quam ut ab religiosa distributione exciperetur: ut tandem Superior magis hominis virtute fidens, quam viribus, opportunum duxerit, privilegium revocare. Quadam etiam nocte cum triclinium contenderet, scalis eo impetu devolutus est, ut vitam ibi posuisse nullus non timuerit: At ille continuo se in pedes erigens, placide viam secutus est, tanquam nihil grave accidisset: indeque cum suaderent quidam, tum ejus annos, tum etiam valetudinem poscere, ut ab scalis abstineret; id ab illo auditum responsum: *Ejusmodi casibus potestis vos etiam, quamvis et juvenes, et viribus integri, subjacere.*

Haec

Haec animi serenitas, quam nullus unquam turbavit eventus, inde originem duxit, quod internos motus a ratione aversos mira vigilantia coercuisset. Corruptae humanitatis affectus assidua suimet victoria in debitum redegerat ordinem; ac rebellem naturam rationis imperio debellaverat. Inde quaecunque subita paratum inveniebant: ut ne illi quidem in vultu comparerent impetus, quorum praeveniendis inopinatis assultibus arbitrium homini non est. Quod sane tribui non potest vel mentis vecordiae, vel ingenitae indolis moderationi: erat enim tum perspicaci ingenio, tum ita fervida natura, ut unanimi opinione in id plures convenirent: quod Franciscus passim cum quolibet obviam eunte non pugnaret, miraculum esse victoriae, repetitis in semetipsum praeliis comparatae. Quae quidem virorum gravium opinio satis indicat, quanta vi, nec ea interrupta, motus fraenans internos, dominatus iracundiae sit, ne unquam prodiret in verbum, quod inordinatum videretur. Ubicunque plures convivunt, qua sumus misera conditione mortales, faciles adsunt contentionum occasiones: etenim sive unus alteri natura non convenit, sive in cogitandi ratione dissentit: atque hinc perpetua insurgunt pericula tum alios offendendi, tum ab aliis tolerandi. Franciscus in domo Professorum ad annos viginti moratus est, ubi plura certe habuit, quibus patientiam exerceret; nemo tamen fuit, ne unus quidem, quem unquam laeserit vel tantillum, aut verbo, aut opera data,

aut

aut voluntaria negligentia: nam quidquid occurreret, custodia erat virtus, quae severe negabat exitum verbis liberioribus. Quadam nocte, cum pro munere, quod supra memoravimus, Regiae Academiae deberet interesse, datus illi est in comitem Adjutor quidam, qui excandescens (taedio ejus operae, qua in multam noctem ad fores aulae occlusae, pro severa probatione lauream petentis, expectare debebat cum aliis ministris Academicis) excandescens, inquam, et propemodum insaniens, in Franciscum effudit iram, quem pluribus ultro lacessivit injuriis. Has ille audiit mire mansuetus, ac tranquillus; quod postmodum Adjutor ipse poenitentia ductus narrabat. Imperaverat Superior; neminem (quod solebant plures) ferculum ullum secum e triclinio extrahere. Id sive in Francisci notitiam non venisset, sive prorsus e mente excidisset (quis enim aliter de insignis viri obedientia, et gravitate suspicetur?) juxta se palam de more seposuit extrahendum; quod tamen coram omnibus, ex officio quidem suo, sed fortasse imprudenter, e loco abstulit domus Minister: homine interea sereno penitus, nec ad vultum comparente perturbationis indicio. Ibat olim per viam pro infirmi confessione, cum praepropero cursu rheda superveniens, et rotae ictu nihil cogitantem impellens, praecipitem illum egit: surrexit extemplo consueta tranquillitate, viaeque institit non modo inturbatus, verum nec de casu verbum faciens, etiam cum teste Socio. Caeterum cum res in plurium

con-

conspectu accidisset, ac Franciscus nulli fere non esset cognitus; non defuere, qui apud rhedae Dominum crimini darent aurigae, quod equorum cursum tempestive non cohibuisset. Regius quidam Senator erat rhedae Dominus, qui rem mature investigandam existimans, offensum ipsum decrevit convenire: qui sane offensus tantis et rationibus, et precibus, aurigae imprudentiam excusare aggressus est, ut Senator ille ad Evangelicam hominis mansuetudinem stupore attonitus, famulum suum aut insontem crediderit, aut saltem ab infligenda ipsi poena abstinuerit, ne tanti Oratoris patrocinium contemnere videretur. Alia dedit quamplura ejusdem patientissimae mansuetudinis documenta in communi Sociorum calamitate; cui dum superstes fuit, copiosa dolorum materies lamentum ab ejus ore non extorsit. Ad portum Mnestei cum pervenisset; locatus est, ut supra demonstravimus, in Augustinianae familiae Coenobio; et ibi, quoniam pro tot hominibus cubicula non essent, ad dies aliquot in deambulacri angulo lectum habuit. Inde misericordia commotus Coenobii Superior, semotum cubiculum pro Sociis nonnullis destinavit; in quo cum locus daretur Francisco, nova etiam ibi fuit patientiae materies: nam cum mane tempestive surgens, delicatulum contubernalem e somno excitasset; iratus hic, senis inconsiderantiam, ut ajebat, vehementer objurgavit. Audiit ille immoto vultu verborum tempestatem; nec vocem solvit, nisi ut demisse polliceretur, nihil se tale

in

in posterum commissurum : quod sane promissum ea postmodum fidelitate implevit, ut Socius ille pudore suffusus, atque ad venerandi viri demissionem, et mansuetudinem stupefactus, veniam de temeritate suppliciter postulaverit.

Tot, tantisque secum ipso certaminibus habitis, evadere victor non potuisset, nisi veteranorum militum more parasset se ad bellum, ne unquam hostis incogitanti occurreret. Quotidie se commentatione sacra praemuniebat, serio mente repetens ea Christianae Religionis effata salutaria, quae sola possunt in istiusmodi praeliis animum roborare. Praeter imperatam Sociis pro caelestium meditationibus horam, quam nunquam praetermisit; Missam etiam celebraturus (cui, nisi gravis impediret morbus, quotidie vacabat) ad horae alterius dimidium genibus flexus parabat se ante Jesum Eucharisticum. Hunc et frequens, et longus interdiu conveniebat; utpote in quo maxime suavitatem, ac delitias inveniendas crediderat: quod satis notabant ardentia verba, quibus ab illo commendabatur pietas in occultum hoc Numen: Amabat post Jesum, Mariam Virginem, cujus patrocinium et pro quotidianis animi praeliis, et potissimum pro extremo agone ferventissimus implorabat; enixis etiam, ac tenerrimis precibus efflagitans, ut suum vix a corpore avulsum animum benigna vellet ante Filium venturum Judicem comitari. Singulari etiam venerabatur pietate Custodes Angelos, Josephum, Seraphicum Franciscum, Lojolam, aliosque cae-

le-

lestes incolas, quos Oratores pro se ad Dominum adhibebat: nihil enim suas valere preces, nisi tantis inniterentur deprecàtoribus, omnino illi persuaserat animi demissio.

Et hanc nimirum praestantissimam dicam ejus virtutem, quae caeteras omnes decorabat. Societatem ingressus, Familiarum sacrarum minimam ab ipsius Conditore appellatam, deposuit ex animo priscam amplitudinem; et pro pretiosis, quas exuerat, pannosas vestes libentissime induit. Vilioribus domus ministeriis, quibus tiro navarat operam, magna etiam ex parte institit domo Professorum; alia superadjungens tum suimet contemptus, tum defatigationis opera. Moris ibi erat, quatuor Sacerdotes, qui postremi ad Societatem adscripti fuerant, servatis vicibus, elata voce legere, quo tempore Socii pranderent: quo in numero cum ad annos plures Franciscus fuisset, nunquam onus recusavit, etiam gravis aetate ultra sexagenariam. Fuere Socii charitate praediti, qui saepius ultro se obtulerunt in ejus locum subrogandos, non in eo duntaxat, sed in aliis etiam, ut ipsius aetas erat, gravissimi ponderis officiis. Ille tamen urbana semper verba pro egregia charitate referens, constanter negavit, debitum sibi onus alienis esse portandum humeris. Quoties domo exibat, Sacerdote comite, qui, quanquam aetate longe inferior, ante ipsum ad Socios fuisset annumeratus; nunquam adduci precibus potuit senex venerandus, ut honoris locum admitteret. Nequidquam speraret aliquis ab ejus ore disce-

re,

re, quod vel minimi sui esset honoris; aut quis olim fuisset muneribus, publica aestimatione, Pontificum, atque Optimatum benevolentia: de his enim omnibus, tanquam nunquam fuissent, altissimum ab illo silentium. Nesciretur omnino, quo natus erat clarissimo genere, quibus meritis, ac dignitatibus praeluxerat; si haec ab ipso intelligere opus fuisset. Interdum recreationis tempore agitabantur, illo audiente, disputationes de rebus ita sibi notis, ut posset prae aliis tanquam Magister pronuntiare; semper tamen audiebat ad silentium obstinatus. Mexicum adveniens, ut honorum vel umbram securior fugeret, serio sibi interdixit, ne pedem inferret in Regiam Academiam, cujus olim lauream, et plausus obtinuerat: quo in proposito firmus duravit, donec *Decanatus* honorem, ut supra demonstratum est, ex imperio Superioris accepit. Quod siquis aut ignorans penitus, aut fortasse oblitus, quo secum nomine Franciscus vellet agi, Doctoris titulo ipsum salutasset; continuo severitatem induebat, atque accenso vultu silens manifestabat, quam esset honorum impatiens, qui nihil turbatus devorabat injurias. Eadem animi demissio legem illi dictavit, ne unquam rhedam ingrederetur. Utique Franciscus Jesuita primum in rheda visus est, cum vitare omnino non potuit: nimirum cum rheda non honori, sed exilio dabatur. A tirocinio recens cum Mexicum venisset, Praedives quidam, ipsi olim inter familiares, ad Professorum domus fores mane, et post prandium rhedam mittebat, eo tantum

tum nomine, si forte Franciscus domo egrederetur: quem honorem cum, saepius egressus, nunquam admisisset; cessavit tandem alter ab officio, magisque exinde amicum observavit. Plura quidem vincenda occurrerunt, ne ab hac ultro sibi imposita lege removeretur: nam cum pro confessionibus exiret, longissimique interdum tractus peragendi essent; saepe inveniebant benefici homines aut Solis ardoribus exustum, aut pluvia madidum, aut longo itinere anhelantem; atque hinc deprecabantur instanter, ut rhedam ascenderet. Idem illi praestabatur officium ab Jureconsultis familiaribus, cum, nocte concubia, et effuso imbre, ab Academia redeundum esset. Incassum tamen hujusmodi preces fuere semper apud hominem, qui nuntium humanis rebus ex animo remiserat, et quidquid mundi redoleret pompam, generosus decreverat fugitare. Id enimvero mirandum maxime, quod hanc ipsam animi demissionem, ne christianae virtutis haberet speciem apud alienos oculos, celabat industrius: nam quod currum recusaret conscendere, id esse ajebat in causa, quoniam ita convectus, male capite vexaretur; quemadmodum causari se delicatulum, supra demonstravimus, ut rem lintheariam, ab aliis attritam, sibi flagitaret. Ita verborum ancipitem sensum claritati virtutum suarum opponebat! Nec levi nixus fundamento suspicabatur quidam, cui cum illo diuturna fuit consuetudo, Franciscum simulare se quandoque impatientem, ut superbus, morosus, et suis addictus cupiditatibus,

tibus, ab caeteris crederetur. Et sane modestus, taciturnus, mansuetus fuit semper in rebus illis omnibus, quae subita, et ardua se obtulerunt; saepe vero asper, et difficilis videbatur in vilibus nugis, dummodo tamen laedendae charitatis nullum appareret periculum. Atque eo quidem astu ad supremum venit demissionis gradum; quae tum perfectissima est, atque ab omni vanae gloriolae discrimine secura, cum, ad occultandum virtutum splendorem, opportunas artes didicit adhibere.

Pari studio ac demissionem, observavit Evangelicam paupertatem, quam colendam instituit aetate jam maturus, et cum probe nosset, quanta pro Christo relinqueret,. quod vitae genus amplecteretur. Etiam in suarum Dignitatum culmine limpidum, et purum cor habuit ab rerum fluxarum amore, quas ad tot annos possedit sine ulla tenacitate: nec enim aliter eas generoso animo relinquere toties tentasset, nec demum reliquisset eo sincerus, ac facilis, vocantem Jesum secuturus. Paupertas illi persuasit ab initio tirocinii, ea se usurum et veste, et supellectili, quae deterior domi esset: quod vidimus omnino quaesiisse, ac tanquam jure sibi debitum postulasse. Nihil unquam, vel levissimi pretii res esset, qua donaretur, accipiebat; nisi prius impetrata Superioris venia. Quicunque illum domi visitandum veniret, annos ultra septuaginta jam natum, ac tredecim post professa Jesuitarum vota solemnia; pene putaret ingredi tironis cubiculum. Tanta erat supelle-

cti-

ctilis paupertate! Ipso vita functo, inventae exuviae materiem dedere ingentis admirationis: nam lintearia res, admodum pauca, eaque lacera, quam quidem magna ex parte involverat in byssino humerorum amiculo, quo utebantur laurea insigniti; libri aliquot de divinis rebus agentes; ac tres duntaxat unciales argentei; repertorium fuere bonorum Francisci Perezii, qui tanta olim possederat.

Quod si magnanimus fuit in iis contemnendis, quae mortalium cupiditatem accendunt, praestantiorem forte dicere possemus in subjugando propriae voluntatis arbitrio. Ad annos tres, et viginti obedivit, tum bona usus valetudine, tum varie morbis impetitus, tum in postremis etiam suspiriis; quin unquam sit visus Moderatorum judicio repugnare. Siquem casu audiret Superioribus obtrectantem, confestim vultu ad gravitatem composito, et modesto silentio, corrigebat audacem; aegerrime semper ferens ejusmodi sermones, prorsus alienos ab religiosa veneratione, quam suis ipse Rectoribus tribuebat. In illis colebat Rectorem supremum, Divinum Numen: propterea nihil satis erat ad reverentiam minuendam, qua et audiebat, et exequebatur ipsorum imperia, quantumvis ardua essent, et minus rationi consentanea interdum viderentur. Hos inter quidam fuit, qui sive tentaturus hominis virtutem, sive res aliter se haberet (Deo certe providente) Franciscum supra Socios omnes laboribus onerabat. Ut primum Sacerdos postulabatur pro infirmi

 con-

confessione, si remotior esset locus, aut hora inopportuna, mittebatur Franciscus: nec semel accidit, cum versus meridiem ab hoc regrederetur ministerio; ipsum imperari, ut denuo exiret, quin lacernam deponeret: quod ne tribui posset Sacerdotum paucitati, plures domi tunc erant ab opere vacui. Praeterea comes illi dabatur ut plurimum Adjutor quidam, cujus indoles, parum domita rationis imperio, non leviter ejus patientiam fatigabat, quod pluribus indiciis manifestum erat. Ille autem ut semper in suos motus dominabatur, obediebat tacitus, quin labia unquam in lamentationem erumperent. Quae sane perfectae obedientiae documenta eo magis erant suspicienda, quod ille ad plures annos amplissime, et graviter imperaverat, nec nisi grandiori jam aetate obedire didicerat. Olim cum in Mexicana Academia de Dignitate quadam ageretur Doctorum suffragiis conferenda, Provinciae Moderator ad Franciscum verba fecit pro Sapiente quodam, de Societate benemerito; quem omnes quidem dignum existimabant, sed non digniorem Franciscus: qui proinde reverentiam debitam religiose professus, id se posse, omnino negavit. Verumtamen ut remotior esset ab agendo in Superioris voluntatem, quanquam jure, ac sine ulla hujus offensione poterat; cum ad suffragia ventum est, ut abesse dabatur liberum, Academiae conventui non interfuit.

In castimoniae laude fuit omnibus mirabilis, purissimam servans conscientiam etiam in mun-

mundana consuetudine, priusquam ad religiosae familiae septa confugeret. Nullus fuit unquam, qui maculam vel levissimam in illo animadverteret adversus ingenuum splendorem puritatis; quantumvis tot essent, qui super ejus dictis, factisque aperto invigilarent oculo, quot fuerant ab ipso, Pontificis Vicario, pro criminibus in eam virtutem castigati. Cum iis et alii pactum inierant invidiae nomine, cujus fraudibus, et livore circumdatur, quisquis in Superioris gratia supereminet. Hi omnes accurate studebant quibuslibet Francisci motibus intelligendis, ipsiusque vel cogitationes investigare tentabant; ea tamen erat innocentia, illibatoque candore, ut, qua possent ratione officere bono Vicarii nomini, omnino nunquam invenerint. Ab eximio Angelicae hujus virtutis amore originem duxit cauta illa gravitas, atque honestus pudor, quo se gerebat, quoties foeminas convenire opus esset; quas domi visitare, abhorruit nimium quantum, nisi patrio more urbanitas, aut aeternae ipsarum salutis negotium exigeret. Tunc enimvero prima ingredientis custodia occurrebat modestia, quae viri oculos terrae constanter affigebat; altera verborum moderatio, quae, nisi penitus necessaria, loqui non patiebatur; tertia gravitatis continentia, quae rem totam expediebat, quam brevissime fieri posset. Neque tamen in agendo cum sequiori sexu, inurbana asperitate vultum muniebat; quin rationem intellexit, eam sibi reverentem benevolentiam conciliandi, ut frequentissimae ad ipsum

confluerent foeminae in poenitentiae tribunali.

In hoc maxime significavit, quanta intus urgeretur charitate animorum, quos consilio juvabat, suavibus verbis hortabatur, et prudenti gratiae dispensatione recreabat. Ad haec, cum animorum gubernationi expedire censebat, stipem etiam pro corporibus ministrabat. Quod munus ipsi erat in Academia, reddebat abunde, ut plurium indigentiae satisfaceret. Ex proventibus inde sibi comparatis, nec obolum suimet sumptibus unquam tribuit; sed exorata Superioris licentia, totum in sustentandis pauperibus impendebat. Ne tamen desidiam foveret, in ipsa misericordia cautam adhibebat prudentiam: quippe iis foeminis, quae possent in sudore vultus vesci pane, tantum largiebatur, quantum satis esset ad ea emenda instrumenta, unde manuum suarum operibus quotidiano victui providerent. Siquae autem valetudinariae viribus ad laborandum deficerent, eas alebat penitus pro uniuscujusque conditione. Quae sane charitatis industria complures a flagitiorum coeno revocavit, ac libertate filiarum Dei donatas, in meliorem frugem traduxit: id ex eo manifestum erat, quod, cum se dedissent Francisci gubernationi, constanti essent modestia, frequentes ad confessionem accederent, atque Eucharistica dape cibarentur ex ejus consilio, quem jure merito Parentem appellabant. Quo die ante diluculum, domus Professorum socii Mexico profecti sunt, ad trium milliariorum spatium audiebant inter

alia

alia nomina perstrepentes miserarum gemitus: Ubinam Franciscus Perezius? Ubinam Pater ille noster, quem nunquam non plorabit grata Mexicanarum pauperum memoria? Providit etiam ut animorum saluti, sic Patriae cultui, ac splendori; cum domum Professorum incolenti, priusquam solemne paupertatis votum emitteret, contigit haereditas Benedicti Gasparis Larrannagae. Erant, ut minimum, unciales argentei ad ducenta triginta millia: quae omnia, vix adivit haereditatem Franciscus, pro Seminario ad Zacatecos erigendo destinavit, in quo patrii juvenes ad pietatem, et litteras informarentur. Quo uno facto, si caetera deessent, inter Principes viros de patria, et regno maximopere benemeritos Franciscus est jure collocandus.

Qui tanta pro externorum amore fecit, facile conjicitur, quantum eos amaverit, qui sub iisdem secum vexillis militabant. Assidua illa de semet victoria sacrificium fuit non interruptum, quod Sociorum charitati magnanimus offerebat. Etenim ut palam est, eum, qui se se nimium amat, laesurum sine dubio concordiam, quae necessaria est in plurium contubernio; ita et hanc servabit illaesam, qui subeat libenter incommoda, ne sibi quaerat, quae utilitatis alienae sunt. Hac ductus cognitione Franciscus, nihil sibi commodi postulabat, nihil onerosi renuebat: et vires a virtute petens, ponderi cuicunque supponebat humeros; ne, si refugeret ipse, portandum esset ab altero. Ita cum exueret se suimet amore, benevolentiam aliorum

sibi comparabat: eo praesertim, quoniam notum erat omnibus, de nemine illum nisi cum laude verba facere. Nec abstinebat solummodo a detrahendo; verum nec patiebatur alium detrahere. Quod siquis, ipso audiente, in hujusmodi sermones laberetur, suavibus primum tentabat verbis, detractoris animum emollire; si satis haec non essent, severum induebat vultum, ut cogeret vel ab loco, vel ab sermone recedere. Totum distribuebat diem, aut animorum intendens utilitati, aut ante Jesum Eucharisticum precans, aut in cubiculi solitudine sibi vacans. Inutilia colloquia fugiebat prorsus, utpote quae foveant otium, vitiorum, ac maxime detractionum originem; praesto tamen erat Sociis visitandis, ut quemque audiebat aegritudine vexari. Nec minus erat diligens in iis omnibus adimplendis, quae inter plures ejusdem contubernii haberi solent charitatis officia: qualia sunt, mutuo se invisere ad certa solemnia, et sibi invicem pro concionibus gratulari. Siquem intelligebat, peculiaribus extolli plausibus tum pro ingenio eminenti, tum pro fervore in dicendo ad populum; non modo alienus erat a foedo invidiae crimine, verum et ad ipsum prorumpebat in verba, suum gaudium sincere significantia; gratiasque agebat effusus, quoniam tanto et conatu, et successu, familiae communis honori consuleret.

Hanc nimirum familiam singulari amore prosecutus est, quam a juvenili aetate ardebat amplecti, quam tandem in amplissima constitu-

tus

tus Dignitate amplexus est, honoribus, ac divitiis posthabitis. Olim cum domesticam ad Socios Orationem diceret, agitandum assumpsit officium, quo Jesu referre gratias ii tenebamur, quos ad sua sectanda vexilla vocaverat. Et certe neminem unquam illo melius hanc oravisse causam credidero: quanquam enim nullus in oratione fuisset verborum fucatus nitor, aut exquisitus ornatus, aut calamistrata eloquentia; fluebat illi simplex, facilisque loquela, quae deceret primarium virum; adeoque locutus est eo loci, fervore spiritus, atque ingenuitate verborum, ut nullus non corde senserit caelestem sapientiam: neque defuit, qui concionis tempore propemodum sine intermissione lachrimas verterit; cum postmodum fateretur, se corde ad planctum difficillimo, quoslibet eloquentia claros Oratores siccis semper oculis audivisse. In privatis etiam sermonibus, quotiescunque de hoc in sacram suam familiam amore fieret mentio, mira demissione obstupescebat Franciscus, quod se indignum tanto donasset beneficio Deus, unde magnam aleret fiduciam salutis aeternae consequendae. Exul jam patria cum iter ageret, cogitabundum, ac subtristem animadverterunt Socii, et de causa interrogatus: *Quid vultis*, inquit, *hilarem esse me*, *cum in tanta sit calamitate Societas? Ea videlicet crimina mea sunt*. Quas cum interciperet voces suspirium ingens, caeteros animi motus efficacius exposuere comparentes in vultu lachrimae. Documentum egregium ut eximiae demissionis, ita et

amo-

amoris in afflictam Parentem! Sed hanc maxime amare monstravit, quod ejus observare leges antiquissimum habuit: has a tirocinio custodire incepit eo facile, ac fideliter, ut longo annorum usu in iisdem instructus videretur: itaque peragebat omnia maturitate quidem viri, alacritate tamen, ac facilitate tirunculi adolescentis; quod ipsius in tirocinio comites non sine sensu voluptatis recordantur. Quotquot illo postea familiariter usi sunt, in hoc testimonium conveniebant: *Nullam Societatis legem omnino scienter perfregisse Franciscum*. Profecto in illo diuturno, ac permolesto itinere, quod a Nova fecit ad Hispaniam Veterem, omnibus addictus fuit praescriptionibus, tanquam moraretur in Collegii tranquillitate: bis enim quotidie, in mari etiam, conscientiae latebras repetebat, lectionique rerum divinarum, ac sacrae commentationi ex Instituto vacabat, aegre sibi quaesito et loco, et tempore; nec parum demirantibus, qui testes videbant, tot ab illo superari difficultates, ut ejusmodi exercitationibus intenderet. Inviolato silentio id assecutus est, ut in necessario navigationum tumultu, ac strepitu, religiosam haberet solitudinem. Quodsi talis erat, cum afflictae, atque inversae res quodammodo excusare poterant, si Socii deflecterent ab legum custodia; qualis fuisse credendus est, rebus integris, ac religiosae distributionis adjumentis? Ipse nempe sibi erat lex, neque ut status perfectionem, quam ultro amplexatus fuerat, avide sectaretur, alio stimulo habebat opus,

quam

quam interna charitatis lege, ab Spiritu Sancto in cordibus hominum latenter insculpta. Quotiescunque ad aliorum conspectum veniebat, venerationem ipsi conciliabat decora quaedam dignitas ad modestiae majestatem composita: ut nemo ipsi occurreret, qui loqui auderet, nisi prorsus necessaria. In horis illis ad animi relaxationem constitutis, moderatissimus erat verbis; et in iis praeseferebat gravitatem quandam, cujus ad aspectum induere moderationem omnes cogebantur: et cum incautus quidam, ipso praesente, inopportune faceta dixisset, confestim ad illum Superior: *Reverentia saltem Francisco Perezio debita continere te debuisset:* tanquam religiosus hominis vultus norma deberet esse consulte loquentibus. Magni tempus aestimabat, eo nobis datum, ut aeternitati beatae consulamus: propterea quemcunque ad se negotii causa venientem, nunquam non excepit liberaliter; quod si tamen, audito paucis verbis responso, sermonem ille de minus utilibus ducebat; ad gravitatem Franciscus, ac silentium confugere moris habuit, ut abire cogeret imprudentem. Hac eadem arte solebat alios ab se abigere, qui non tam hominis amicitiam colere, quam tempus otiose terere quaerebant.

Proinde quanquam moraretur in urbe amplissima, et iis intenderet ministeriis, quae necessario poscerent suam ad homines praesentiam; vivebat tamen adeo abalienatus ab humano commercio, ut merito illum comparare pos-

possimus cum Thebaidis Coenobitis. Plerunque nesciebat, contubernalem Socium recens adventasse domum Professorum, donec illum vidisset ad exercitia familiaribus communia. Ignorabat penitus, non modo, quid in urbe novi; sed quid etiam intra domesticos parietes. Complures e Mexicana Provincia Socios, quibuscum in eadem urbe vixerat, nec nomine cognoscebat, quin etiam de sibi notis, raro ad ejus aures veniebat, ubinam Collegii essent, quodve munus exercerent. Nimirum sibi soli cum intenderet, ac rebus ex officio debitis; aut deerat ipsi tempus, aut contemnebat de iis interrogare, quae sui muneris non erant. Abunde testatus est has hominis virtutes Sacerdos quidam, qui ad annos quindecim eo usus est conscientiae Moderatore; palamque asserebat, illum semper sibi esse visum alterum Franciscum Borgiam; quem etiam, constanter asseverabat, quamplurima sibi praesagiisse ventura, quae vidit postmodum eventu comprobata. Utique potuit solerti mentis acumine de homine conjicere, cujus intimos recessus longo annorum usu cognoverat; ego vero nihil portenti crederem, hoc etiam gratuito dono insignitum fuisse Franciscum; cujus imaginem corporis jam paucis describam verbis, cum meritam posteritati statuam dedicare non possim.

Fuit Franciscus Perezius Aragonius statura paulo supra mediocrem, atque ad eas dignitates facta, quibus et ipsum ad plures annos

de-

decoravit, et quibus certe sublimioribus decoravisset tum generis, tum etiam virtutum claritas; nisi terga ultro vertisset honoribus, ut contemptum, ac pauperem Jesum sequeretur. Corpore incessuque nunquam non rectus, atque ad majestatem adeo natura compositus, ut extrema etiam senectute gravis, neque minimum dorso flecteretur. Non illi crassitudo, non etiam macies; sed ea in torosis membris proportio, quae virum robustum deceat. Capilli ad annum trigesimum flavi; ab hac aetate (quod narrabat ipse) canescentes; deinceps vero candidi omnino, nulla vel umbra minima intermixta; densi tamen semper, nullumque calvitium. Ornabat frontem recta planities intra mediocritatem protensa. Ex aequis terminis densa, ut capilli, supercilia prodibant, a natura decore conformata. Oculi caesii, et paulo grandiores nitebant oppido; gravesque, ac penetrabiles intuebantur. Nasus nullibi inclinans, plenus, nec inhoneste prominens. Os nihil aut excedens, aut deficiens a proportionis magnitudine. Oblonga facies, in qua nihil non viro dignum: tranquillus vultus, qui tametsi ad severiorem formam parum vergeret, ad humanam gravitatem diceres factum omnino. Vox in familiari sermone affatim plena, sed quae in raucedinem tantillum desineret, adeoque ad concionem subobscura. Incessus ultra rectam posituram, quam memoravimus, ita per omnia decens, ut neque a primis dignitatibus, quas occuparat, recederet; neque

ab

ab religiosa modestia, et sanctimonia, quam ut semel amplexatus est, nihil interrupte ad mortem praesetulit. Et haec de Francisco Perezio, quem eo digniorem memoria judicabit posteritas, quo simplicius eximia ejus facta, et exempla narraverimus.

AUGUSTINUS MARQUEZIUS.

SExto decimo Kalendas Novembres, anno currentis saeculi quarto decimo, ad Castra Caecilia, hodie *Cazeres*, Bethuriae urbem, Augustinus Antonius Marquezius natus est. Quo ille sanguine, quibus fuerit Parentibus; dives ne ipsis arriserit, an tristis fuerit fortuna, penitus ignoramus. Nec enim fuisse ullum scimus, apud quem ille Genitores, aut patriam aliquando meminerit: nec ab eis unquam accepit litteras, nec ad ipsos dedit novus hic Abraham divino monitu exire jussus de domo, et cognatione sua. Qui tamen testes vidimus tum ejus agendi rationem, tum etiam naturalem quandam animi sui magnitudinem; nihil profecto dubitamus, honestis illum Parentibus genitum, qui christiane, atque ingenue filium instituerunt: cum praesertim, si fuisset aliter, ab ipsius ore sciremus; cum nullam se se contemnendi non arriperet occasionem. Unum liquido constat, quod morti propinquus ipse familiari cuidam aperuit: se nimirum, cum Placentiae latina rudimenta edisceret, atque ob austeram, silentioque ac sacris meditationibus obstrictam Carthusianorum vitam, ad eorundem amplectendum Institutum propenderet; litteris ab Superiore postulavisse, ut ad Tirones adscriberetur. Id ejus Pater odoratus, nihil unquam

quam locutus filio, responsa intercipiebat. Donec tandem Augustinus cum Patris diligentiam praeoccupasset, atque ex Superioris epistola procrastinandum sibi intellexisset; qui mundi illecebris confestim renuntiare decreverat, ad Societatem Jesu se convertit. Nec minus aegre tulit hoc Pater, qui ex filii juventute fortasse praesagiebat, futurum virum virtutibus eminentem. Sive tamen annuerit ille, sive duntaxat permiserit; septimo Idus Aprilis, anno hujus saeculi quinto, et trigesimo, Societatis tironibus annumeratus est Matriti Augustinus; ipsius petitione destinatus, qui ad Americanos excolendos transduceretur. Paucos Matriti commoratus menses, in Mnestei portum, hodie Sanctae Mariae Fanum, contendit, longinquum iter aggressurus. Ibi gentium Americanae Jesuitarum Provinciae peramplam suis sumptibus domum construi curaverant, in qua Socii Europaei, ad ipsas transmittendi, navigationis opportunitatem expectarent. In hoc igitur diversorio, quod post annos quatuor et triginta sepulchrum Augustino futurum destinarat Deus, ea menses aliquot innocentia, et animi fervore vixit; ut postea morti jam proximus in lachrimas ubertim erumperet, secum ipso se conferens, aetate maturum cum juvene, tunc Sacerdotem cum ibi olim tirone. Demum sub initium Decembris, Joanne Guendulaino, et Andrea Garcia Mexicanae Provinciae rerum Procuratoribus, e portu Gaditano solvit ad Novam Hispaniam. Ac tres totos menses permolesto iti-

itineri cum dedissent, quo temporis momento jacere parabant anchoras, in scopulum navis incidit: ut ad propinquam Sancti Joannis de Vlua transituris arcem, continuo cymbulae mitterentur; quae tamen navigio adhaerescere cum non possent, ad ipsas unus post alium transierunt, everso malo equitantes.

Hisce laboribus, tanquam suarum defatigationum exordio, Mexicanum regnum Augustinus ingressus est, et quinto demum Kalendas Majas in Tepotzotlanense tirocinium pervenit. In ea virtutum officina, ubi Mexicani Jesuitae ad pietatem informabantur, sanctimoniae viam percurrit Augustinus, matutinae instar lucis usque ad diem perfectum increscentis: quam nimirum viri constanter probi Sacrae litterae describunt imaginem. Probatus in pietate ad biennium, atque humaniores litteras paucis ibidem mensibus edoctus, in Angelopolitanum Divi Ildephonsi Collegium mittitur, philosophiae navaturus operam; ubi nihil remittens de concepto animi fervore, sudores litterarios cum religiosa pietate probavit optime convenire. Id jam temporis ut secum ipse crudelis erat, ac propemodum iniquus; ita cum Sociis, et externis comis, et urbanus; erga Numen mire fervidus. A conscientiae Moderatore, pro vexando suo corpore, amplissimum consensum extorserat: ut jam tunc mirabili quidem, nec tamen imitanda videretur severitate, tum ob assiduum flagellorum usum, tum ob alias macerationes, quae minori strepitu carnem afflictant. Modestia oculorum

praecipuus ad sui amorem, et admirationem trahebat externos juvenes, qui scholae secum intererant. Silentium et amabat natura, et custodiebat ex Societatis praescripto; quin tamen fastidium sui generaret: nec enim superciliosus respondere negabat interrogatus. Tempus inanibus colloquiis terere maxime fugitabat, et quidquid otii a philosophiae studio supererat, avidus dabat divinarum rerum lectioni: quo quidem in genere tantum profecit, ut grata suavitate, ac facundia de caelestibus ad Socios colloqueretur, cum ad constitutas horas animos relaxarent. Haec tamen, siquis ultro ad ipsum veniret: caetera enim, dum insontibus id aetatis jocis aequales vacabant, ille sacro intentus libro inambulabat solitarius. Et quo mentis conatu legeret, et quam christianam philosophiam edisceret, omnino patuit, cum ex datis Evangelii verbis, quod moris ibi erat, intra sesquihoram ad domesticos orare jussus est. Profecto cum notum esset omnibus, ut illum ingenio excellere, ita et indefesso studio ejusmodi rebus intendisse; nemo erat ullus, qui ad rem accommodata doctrina, et copiosis ab exercitatione verbis oraturum non crederet. Attamen ille jam ab exordio in eas effusus est ineptias, ut tum omnes pene sine arbitrio in risum erumperent, tum qui praeerat Magister, illum e suggestu descendere imperaret. Confestim obediit vultu ad laetitiam composito; et eo exultans intrinsecus, quod se ab Sociis habitum iri contemptu existimaret. Longe tamen aliter: nul-

lum

lum enim fugit, sponte illum effutiisse, nec fortuitas duntaxat se parvifaciendi occasiones ex animo arripere, verum et ipsas ultro quaerere. Ita etiam quoties a Magistro in thesim quamlibet dicere juberetur, accedebat continuo, haud dubie interdum praenoscens, irridendum se se; cum thesi ex tempore propositae nec a primo limine studuisset. Quod siquis amica familiaritate moneret, praestare potius, si fateretur aperte, nihil admodum se scire de propugnanda thesi, quam puerorum petulantiae ridendum semet praebere: *At ego*, mansuetus respondebat, *non interrogor, num studuerim? sed omnino jubeor in propugnantem dicere: praecipienti obtempero, pro ingenii mei tenuitate, ac materiae novitate, parum feliciter*. Huic enimvero se se contemnendi desiderio, Societatis honorem antehabuit, cum bis ad publicas defendendas theses destinaretur; in quibus quidem ut probarunt illum Magistri, et adstantes plausibus extulerunt, ita laudarunt maxime religiosam ejus modestiam, et sapiendi sobrietatem. Id etiam temporis palam fecit insitam illam a natura magnificentiam, qua toto postmodum vitae tempore, quoties de cultu Dei ageretur, grandia semper, et opulento viro digna cogitavit. Vota diu foverat, imaginem Mariae Virginis, cui titulum a Lumine pietas fecit, in domus ambulacro venerationi publicae collocandi. Sed unde pecunias erogaret, prorsus non erat homini, qui et paupertatis observantissimus, nihil ex aere proprio habebat; et ibi gentium externus, nec no-

tus adhuc indigenis, ex alieno prudenter sperare non poterat. Atqui coccolato divendito, quod Sociis omnibus de more in menses singulos tribuebatur; parvo illo pretio fidenter opus aggreditur. Neque temere speravisse probavit eventus: quippe brevi, quo loco optaverat, magnificam locavit imaginem, inaurato margine, pervenustoque ornatam tabernaculo, uncialibus argenteis amplius ducentis aestimatam. Sane in arcanis fuit, quis pro tot expensis necessaria suppeditaverit: quod pluries in Augustino postea mirabamur; quem, probe noverant omnes, in cubiculi recessu conclusum, nunquam hominum commercia quaeritasse. Facilis tamen conjectura, thesaurum ipsi fuisse in fiducia, et precibus, quibus sibi Numen propitiabat. Id liquido constitit: quo tempore construebatur imago, cum dies venisset solvendis opificibus in hebdomade constitutus, nec ipse haberet, unde solveret; illis ad cubiculi fores relictis, in sacellum se contulit, poenitentia fere ductus, quod fortasse imprudens operi se accinxerat. Ibi ante Jesum, et Mariam suas effudit angustias, atque oravit enixe, ut necessitati consulerent. Nec incassum preces; nam cum inde egrederetur eo animo, ut procrastinationem a creditoribus exoraret; ecce ad ipsius sacelli fores hominem sibi non notum, qui nummos aliquot largitus: *Haec*, inquit, *pecunia sit pro tuis opificibus, quibus hodie satisfaciendis fortasse tibi non est*. Et erat omnino, quam praesens necessitas exigebat. Obstupuit ille ad inopinatam

lar-

largitatem; ac jamtunc animo decrevit, cum de sumptibus in Dei honorem ageretur, nihil territandum ab inopia pecuniae; quam domus Dei purgamenta lepide appellare consuevit.

Post philosophiae curriculum non sine honore confectum, Mexicum ab Superiore vocatur, prima latinitatis elementa pueros externos edocturus. Id munus cum iniret, diu, multumque secum ipse perpendit, quanti sit in mortalium Republica, qualis educatio pueritiae contingat. In litterarium profectum, et discipulorum animi bonum collineans, nihil non tentavit, ut duplicem hunc fructum ex illo agro colligeret: juvabat potissimum exemplo, modestus, nec severus; humanus, nec familiaris; assiduus ad Numinis, ac Matris Virginis amorem hortator, nec tamen fastidiosus. Is demum fuit in eo suorum munerum initio, qualem ipse, postrema correptus aegritudine, describebat se se, cum Socio colloquens, apud quem solebat conscientiae arcana deponere: *Ubi ubi*, ajebat, *Superiorum imperio missus sum*, *provinciam quamlibet aggressurus*, *toto semper adlaboravi conatu*, *nihil sudori parcens*, *nihil ad difficultates exterritus*, *quominus ad Dei gloriam in suscepto negotio procurandam intenderem*. Haec agebat, cum et saevis macerationibus, et immodico labore vexatus, in morbum tandem incidit, quem gravi periculo non carere, continuo visum est: quippe lenta febris, nimia virium debilitas, corporis extrema macies, non dubia erant pthisis indicia; nec ab iis unquam reliquo vitae tempore

L 3 per-

perfecte convaluit. Et hanc increscentis morbi occasionem in semetipsum convertit, in posterum sibi praefiniens illum admirandae frugalitatis tenorem, qui pene fidem exsuperaret, nisi in tam recenti memoria tot adhuc incorrupti testes existerent. Scutellam juris, nullo cibo alio, nullo etiam potu superaddito, pro totius diei alimento sumebat; quae sibi reliqua in triclinio apponebantur, discipulis pauperibus, praemisso Superiorum consensu, distribuebat: in qua quidem victus temperantia, materiem immutans interdum, ad mortem usque duravit. In praesentia tamen eo languoris devenerat, ut quadam die, cum ad scholam descenderet, crudeli supra modum vexatus inedia, viribusque penitus destitutus, in scala consederit: extemplo accurrere Socii, quos vultu excepit sane pallido, et intermortuo; subridenti nihilominus, ac tranquillo; et semetipsum vilem animum appellans, festive jocabatur. Et hic tandem removendum a Magisterio Superiores judicarunt, et Medicorum potestati tradendum. Desperabant hi de curatione; nihilo tamen secius, ut palam dicat, imperant, si quas delicatiores epulas, aut cupedias appeteret. Aeger in obedientiae laude praecipuus, aperire non distulit lactis desiderium; cui lubentes illi annuunt:, et cum, lactis usu diutine protracto, in meliorem venissent spem, in suburbanum missus est. Discedenti Superior praecepit, ut in iis, quae ad salutem recuperandam attinerent, dicto audiens esset Socio Adjutori, qui rem ibi familiarem administrabat. Et

se-

sedula hujus charitas, et assidua lactis potatio, et cibi ad naturam accomodati, paulo recrearunt ejus valetudinem; ac tandem post autumni ferias, etsi nondum pristinae sanitati omnino restitutus, Theologiae potuit curriculum aggredi. Hanc avide suscepit addiscendam, ea sane cogitatione, quod in sacrae scientiae studio informari debebat, futurus aliquando Verbi Dei administer. Praecavens tamen, ne scientiae gloria inflaretur, et dum Theologus effici vellet, de animi fervore remitteret; priscas suas macerationes, quanquam non eodem gradu immoderatas, paulatim resumpsit. Moderatior pariter morbus recruduit; quem fortasse potuisset plane superare, si nondum confirmatae valetudini paululum indulsisset. At ille veritus, ne infirmitatis nomine assuesceret indulgentiae, in quam, dicebat, tanquam in scopulum impingentes quamplurimi, fracta fervoris navi, naufragium passi sunt; ab omni eo, quod palato gratum esset, a lacte similiter, quod sibi salubre expertus fuerat, abstinebat. In hocce Collegio, ut olim Angelopoli unam, binas depingi curavit Mariae Virginis de Lumine tabulas, cultui publico pariter apponendas; eodem omnium renascente stupore, unde posset expensis satisfacere. Ita pietati, ac litteris peraeque intentus, tres totos annos in Theologia posuerat; cum ad Sacerdotis dignitatem evectus, primam Divino Numini hostiam religione plenus immolavit. Pro quarto Theologiae anno moris erat, pensato ad trutinam litterario novorum Sacerdotum merito,

quatuor ex illis renuntiari, quorum duo Mexici, totidem Angelopoli, matutinas Theologiae, vespertinas Juris Canonici Theses publicas propugnarent. Datus hic honor Augustino, qui certe inter primos eminuerat; sed qui pro semet crudeliter macerando, nihili aestimabat suam corporis debilitatem, hanc ipsam centum coloribus objecit, ut honorem refugeret. Nulli non patuit christianae demissionis industria; concessa tamen haec homini victoria, qui Deo, et Societati famulari praeoptabat, non in excellentia, et splendore; sed in illis muneribus, quae plus oneris haberent, quam plausus excitarent.

Id generis fuit tirocinii Ministerium, quod, annum Theologiae quartum cum exegisset, suscipere jussus est. Prae gaudio exultavit, opportunam ratus sibi dari occasionem, ut unum Deum in solitudine cogitaret, atque in comparandam perfectionem religiosam incumberet. Probabantur ibi Societatis Candidati arctissimae disciplinae legibus: nullae inter illos auditae querimoniae, nullae perperam natae suspiciones: vigebat mutuus amor, incredibilis oculorum, ac linguae custodia, gravis honestas, mira simplicitas, vix interrupta caelestium rerum meditatio, salutare corporis odium, eximia erga Superiores veneratio. Sed quanquam severae disciplinae legibus assueti, mirabantur nihilominus tirones Augustinum, qui fervore, ac modestia primus erat in religiosa temporis distributione. Diluculo quotidie ad horam, ad semiho-

horam vespere genibus semper nixis ante sacellum Divinae commentationi vacabat. Eodem et loco, et corporis positione, mane, et vespere ad horae quadrantem in sua dicta, et facta diligenter inquirebat. Bis in anno meditationibus Divinis per totos octo dies excolebantur tirones, divisi tamen in duos ordines; ut dum alteri caelestibus vacarent, intenderent alteri domesticis ministeriis. Et primum, et secundum ordinem sequebatur Augustinus ad charam cum Deo solitudinem; ac proinde quater singulis annis ad sacras hujusmodi exercitationes recedebat. Bifariam dispertiebat suas epulas, in jentaculum, et prandium: pro jentaculo, in genua procumbens, quod moris erat tironibus, paululum coccolati sorbebat; pro prandio erant sive modica legumina, sive immissa juri panis frustula; sive vilius aliquid sibi pararet ex eorum reliquiis, qui primi pranderant; sive ex putido angulo (certe horret natura vel ad memoriam) in quo culinae sordes, et analecta coacervabantur, manducandum quidquam extraheret. Et loquimur de diebus, quibus reficiebat se se: nam plurimorum solemnium vigilias omnino impastus videbatur traducere. In cubiculo semper aut stans, aut genu flexus reperiebatur. In visitandis aegrotis interdiu, noctuque assiduus erat, nec tamen unquam assidere visus est. Apud ipsos caelestia colloquia movere, mercedem aeternam, et Jesum patientem recordari, languentes fovere, matulas purgare, in deliciis habuit. Et hoc postremum ministe-

rium

rium cum valentibus etiam, quo tempore extra cubiculum essent, exercebat. Precatus fuerat tironem quemdam, ut lynceis oculis facta ipsius, et dicta contemplaretur; ac siquam vel levissimam noxam animadverteret, sine cunctatione moneret. Sed unum duntaxat ille, ut caeteri omnes, in Ministro animadvertebat; quod pene ad suimet excidium a prandio, et somno abstineret. Sane mirabantur, quo pacto vitam ageret homo, qui ad prodigii terminos inediam protrahebat; et quem vix somno refici, non levi credebant suspicione. Hanc ratam habuere, cum, quid sibi accidisset, a tirone quodam intellexerunt: hic enim, caeteris somno datis, cum pro suo munere domus claves Ministro deferret, invenit illum ad cubiculi fenestram, placidissimo stupore aspicientem in coelum: ad verba tamen deferentis claves quasi expergefactus vultum convertit, atque ingenti emisso suspirio: *Quanta est*, ait, *coelum pulchritudine! Relinque in suo loco claves*. Post septem ipsas horas cum de more idem ad Ministrum accederet, atque immotum in eodem conspicaretur loco, elata voce claves repetit. Ille cum de clavibus audiisset: *Tibi jam dixeram, in suo loco deponendas*. Et alter: *Id enimvero, priusquam cubitum irem; nunc tamen tota nox transiit, et hora est claves resumendi*. Nihil tiro dubitavit, illum ad totam noctem a sensibus fuisse abalienatum in coeli venustate, atque ejus, qui coelum creavit, potentia contemplanda.

Ad plures voluisset annos in ea domo commo-

morari, diuturnius informandus virtutibus, quas ad procurandam subinde salutem animorum necessarias judicabat; cum Philosophiae Magister ad Angelopolitanos renuntiatur. Exhorruit ad honorem, quem unus ipse immeritum, atque inopinatum credidit; idque ajebat, eatenus a Deo permissum, quo puniretur fortasse, quandoquidem tribus jam annis in illa versatus sanctitatis officina, sanctus non evaserat. Continuo coelum appellavit, obtestans suppliciter, se ab illo munere, quo nullum posset contingere gravius, exonerari. Litteris inde ad Provinciae Praesidem missis, deprecabatur enixe, ne se, nihili hominem, ac prorsus inhabilem, tanto vellet objici periculo: non se natum ad calcandam honorum semitam, sed a Deo vocatum ad obscuriora ministeria, in quibus, utcunque mediocri ingenio, posset animos coelo lucrari: postremo aperte negabat, se vel in praesentia posse ob virium extenuationem, vel sperare futurum, ut aliquando in meliorem valetudinem deveniens, Magisterii rationibus, ac Societatis honori valeret satisfacere. Nihil ad haec motus Provinciae Moderator, omnino scripsit obtemperandum; et ille in obedientiae obsequium Angelopolim contendit. Ibi loci ad divinarum meditationum hebdomadem ante omnia confugit, in quibus negotium serio cogitans, obnitendum sibi denuo credidit pro Magisterii liberatione. Ac venit in mentem rem totam commendare Joanni Antonio Oviedo, clarissimo Mexicanae Provinciae ornamento, quam bis rexerat in supre-

premo Magistratu; qui primae auctoritatis apud Socios, senio jam confectus Sodalitati praeerat Mariae sine labe conceptae. Oviedus cum petitioni refragantem omnino Provinciae Praesidem invenisset, id tamen obtinuit, ut, quoniam Augustinus temporis angustias causabatur, ne posset latinam illam orationem conficere, quae curriculo philosophico dabat initium; Socius alter ipsam elaboraret, ac novi Magistri nomine publice pronuntiaret. Profecto tam absurdum consilium, quod magni erat dedecoris Augustino, nec ab sene, alias prudentissimo, venire poterat, nec ab supremo Provinciae Moderatore executioni mandari; nisi christianam Magistri demissionem tam arduo periculo tentare voluisset Deus. Nihil obmurmurans ille obtemperavit, et ad constitutam orationi diem nihil renuebat inter audientes publice comparere; Collegii tamen Rector cum descendentem conspiceret in theatrum litterarium, sapienter jussit in cubiculum remeare. Utique apparebat per eos dies ad serenum vultum compositus; morti tamen proximus aperuit ipse familiari cuidam, quam horride in silentii tenebris fuerit vexatus, diu, noctuque volvens cogitatione, magno se inustum dedecore, Magisterium inire; quandoquidem fama vulgandum, latinam oratiunculam conficere non potuisse, aut saltem ab alio confectam memoriae committere: quod certe a Provincia condita non auditum. Verum res contigit longe aliter: nam et mirabili animi submissione confestim in se vertit omnium oculos;

et

et brevi singularis etiam ingenii famam, quam nunquam curaverat, comparavit. Ut erat indole maximopere verax, temperare sibi non potuit, quin ea discipulis dictaret, quae veritati propiora crediderat: et erat interdum in excogitando ita digrediens a communi omnium judicio; ut admirabilia dicere, nec tamen fore, ut ea posset defendere, videretur. Sed ubi ad theses publice propugnandas ventum esset, semper tribuebantur plausus propugnanti, qui ut rei novitate ad acuenda ingenia invitaverat, ita mire alacer se se ab argumentationibus expediebat. Id tamen intelligere nemo poterat: cuinam ille auctori studeret? undeque sive novas doctrinas, sive novam veteres proponendi rationem eliceret? Cum liquido constaret, nullum esse Augustino librum, nisi quos invenisset in decessoris cubiculo; qui propterea prae omnium erant manibus. Ad haec, ut religiosae paupertatis erat studiosus in primis, totam suam philosophiam in epistolarum inscriptionibus, ac marginibus, aliisque id generis minutis foliis exaravit; ut aegre intelligeret auctor ipse, quod nuper dictaverat. Quascunque potuit, occasiones captavit, Mariae Virginum Reginae laudes in suis thesibus inserendi: quarum unam cum publice defenderet, magnoque argumentationis pondere ab impugnante quateretur; eo jam res devenerat, ut ab erudito consessu de palinodia Magistri timeretur. Attamen insurrexit iste, ac tam mirifica doctrina, tanto vultus ardore, tam pia verborum gravitate, sacrum Codicem, Eccle-

clesiae Doctores, rationis momenta in sui defensionem attulit; ut et mirarentur audientes, et idem ille, qui objecerat, in laudes vergeret propugnantis; quem scilicet, praeter clarum ingenium, Marianus amor illuminabat. Huic sane Virgini accepta ille referebat lumina, quibus tam feliciter suo muneri satisfacere dabatur: ab eadem impetraverat, ut in feriatis duntaxat diebus veniret febris accessio, qua vexabatur frequenter; ne videlicet scholae omitteret interesse. Venustissimam ejusdem imaginem in ipso ludo litterario collocavit pro discipulorum excitanda pietate: aram etiam in templo construi jussit, affabre elaboratam, auro, et cyano segmentatam, quae uncialibus argenteis plusquam duo millia sane constitit; quod autem impensarum est, nemo dubitavit ex Divinae Providentiae thesauris eductas, quos precibus, ac fiducia reserare facile ipsi negotium demonstravimus. Idque in causa, cur nullus unquam ejus auxilium incassum imploraverit, cur etiam plures ipsum convenirent opis petendae gratia; quantumvis palam esset omnibus, nec obolum quidem, neque vero aquam tergendis manibus in ejus cubiculo reperiri; hominemque illum esse, cui rarior in urbe tota cum hominibus consuetudo. Nunquam animi causa, vel urbe, vel etiam domo pedem efferebat: quippe una illi voluptas, cum ab studio remitteret, lychnos eos pensiles, qui ante Marianas imagines in ambulacro ardebant, expolire, atque accendere; infirmos domi visitare, solari, et quidquid

opus

opus esset, ministrare. In autumni feriis, quo tempore Magistri, et quicunque litterario cursui per annum vacaverant, in suburbanum secedebant; Sociorum domi remanentium Minister dicebatur Augustinus. Quae vicaria potestas eo grata illi erat, quod ipsam in sui detrimentum exercebat continuo: nam siquod sudarium, vel simile quidpiam Superior vetuerat nominatim, ne ab se abalienaret; occasione Ministerii, facultatem sibi benignus impertiebatur, ea cuncta donandi, quae supervacanea vocabat.

Ab exacto Magisterii munere ad evangelicos sudores in Mexicano Divi Gregorii Collegio destinatur; in quo ad Christianam, et civilem vitam, Sociorum opera, erudiebantur, qui cum sanguine linguam traxerant a priscis tanti Imperii possessoribus. Nihil distulit vernaculo ipsorum addiscendo sermoni, venusto in primis, atque eleganti, dare operam: et brevi quidem tempore is inventus est, qui et confitentibus praebere posset aures, et Mexicane Orator eloquens libenter audiretur. Incredibili fuit amore in miseros illos indigenas, quos omni juvandos ope, nec in eo ministerio labori parcendum, ab initio sibi constituit. Cum semel consederat illos auditurus in poenitentiae tribunali, nunquam inde surgebat, dum ullus adhuc esset, qui suo vellet uti ministerio. Confluentibus egenis (quo certe nomine, quotquot fere vivunt ex ea gente, jure appellaveris) octavo quoque die frugi prandium ad Collegii januam distribuebatur: quod distribuendi officium sibi exora-

vit

vit Augustinus. Ut erectum fuerat Collegium illud pro una ipsorum salute, qui profecto vilia tuguria in longinquo posita incolebant, pluresque ad aliquot a Mexico milliaria; eo major erat Sociorum defatigatio, qui ad illorum confessiones exquirebantur. Alacri semper, ac prompto erat animo Augustinus, sive diei, sive noctis hora qualibet vocaretur, sive pedes iturus esset, sive interdum equitans ob nimiam longinquitatem; nunquam tamen ad id operis domo prodibat, nisi notis quibusdam medicamentis onustus; si forte posset cum animi salute, sanitatem etiam praestare corporibus. Adjacebant Collegio Virgines de ipsorum indigenarum sanguine, quarum institutioni ad pietatem, et foeminea ministeria domum a fundamentis ante paucos annos construxerat Antonius Herdonnana, eximia urbanitate, ac multis virtutibus Socius, qui, posthabito dignitatum splendore, quas tum familiae claritas, tum ingenii facilitas, tum immensa pecuniarum copia pollicebantur; Mexicanae nationis bonum ad plures annos humanissime procuraverat. Pro tantae misericordiae institutione nummos testamento reliquerat Antonii Mater, ut genere, atque opibus, ita et virtutibus clarissima. Et hae quidem puellae per eos jam dies illum suavitatis odorem emittebant, qui plane dignus esset Sanctimonialium Virginum. Hodie vero (quod maxima profecto voluptate intelleximus) in omni genere mirum in modum increverunt: nam et regalis Caroli III. benevolentia semel, et iterum patrocinio foven-

vendas imperavit, utique ipsarum patronum ultro renuntians Mexicanum Senatorem Xaverium Gamboam; et insuper praedivitum hominum, qui Mexici sunt, munificentia tantum nummorum suppeditatum illis est, ut ampliare duplo potuerint pristinarum aedium magnitudinem: quae sane in praesentia, Sanctimonialium in ea urbe coenobia, quae habentur maxima, exaequant ut minimum. Sed parum esset aedium magnitudo, nisi quocunque per eas volvens oculos, in modestiam, et pietatis exempla, in nitorem, et elegantiam, in conclavium, et officinarum omnium commoditatem, atque utilitatem incideres. Hic videre licet fullonicae dantes operam; illic separatim, et accuratissime rem Ecclesiae lintteariam amylo candefacientes: partim insudant in condiendis exquisito admodum nitore cibis, quos inibi parari sibi pro solemnibus epulis jubent nonnulli, quibus excellentium operariorum copia domi non est; partim buccellas, bellaria, idque generis alias cupedias conficiunt, aut coccolatum elaborant: alterae intendunt phrygianis operibus acu pingendi; alterae sive ad musica instrumenta canere, sive ipsa pulsare discunt, prout naturali studio ducitur unaquaelibet. Templo gaudent recens constructo, modico illo quidem, pulcherrimo tamen, et mirifice ornato. Ab ea domo, tanquam a Virginum plantario, transiere complures ad ejusdem sanguinis Sanctimoniales, tum quae Corporis Christi nomine Mexicanum coenobium incolunt; tum quae novum ad An-

M tica-

ticarienses ante quinquennium circiter fundavere. Faxint Superi, quod enixissime precamur, ut haec Mariae Guadalupanae dicata domus magis, magisque in dies incrementa suscipiat! et experimento intelligamus omnes, dignas esse Mexicanae gentis foeminas, quae in Reipublicae partem veniant, si cultum civilem edoceantur! Utinam et ejusdem generis ephebis simile aliquando seminarium contingat! Has puellas gubernabat aetate matura Virgo, prudentiae laude singularis; cujus conscientiam ad multos annos moderatus est Augustinus, eamque dicebat indole praecelsa, tantisque insignitam animi dotibus, ut praefici haud dubie potuisset difficiliori provinciae, quam erat Virginum gubernatio. Haec illa fuit egregia foemina, quae morbo afflictata, non aliter curando, nisi Chirurgi manibus, ac pudoris injuria, consuluit Augustinum, liceret ne sibi ob castimoniae studium a curatione abstinere? Cumque sententiam obtinuisset purissimo illi flosculo faventem, perpetuo vexari morbi cruciatu, donec viveret, impavida sibi imperavit. Nec urbanam tantummodo vineam Domini sollicitus fuit excolere operarius, cujus charitati in animorum salute procuranda nullus profecto erat terminus. Ibat constitutis anni temporibus ad multos ab urbe lapides, Mexicanos praeruptorum montium incolas quaesiturus; nec ad itineris laborem, nec ad torridae regionis ardores, nec ad coelum insalubre, nec ad inhospita tecta, nec ad serpentium bestiarum praesentaneum venenum terrebatur. Ut iter

age-

agebat, Sacerdote semper comite; a primo statim die tanquam jus sibi debitum constituebat, atque vi, aut precibus obtinebat, equum sibi, qui deterior esset, destinari: similiter in diversorio locum sibi arripere praeoccupabat obscuriorem, aut alio quovis nomine magis incommodum: ita etiam induci nunquam potuit, ut pro diebus illis Evangelici ministerii alio uteretur, quam vili, et eo parcissimo, rusticanae illius gentis alimento. In Tlanchinolensi dioecesi, ubi Christiana id generis oppida plus triginta numerantur, primus Augustinus incultos illos homines ad cibum Eucharisticum comparavit. Hoc enimvero quantis sudoribus! Mane quotidie ad totas novem horas patientissimus dabat aures ad confessionem accedentibus: quem sane ingentem laborem cum paululum abrumperet pro prandio, et sacris precibus solvendis; ab hora secunda pomeridiana resumebat: nec ultra, nisi advesperasceret, a ministerio evellebatur. Nihil autem otii pro prima noctis insequenti vigilia; quam per vices cum Socio dabat explicandis Christianae Fidei rudimentis, atque aliis postmodum Divinis rebus enuntiandis. Nulla satis fuisset, vel robustissima corporis constitutio, quae in exaestuanti regione tam immodicae defatigationi resisteret. Augustinus, cui debilis admodum valetudo, et febribus contrahendis natura facilis; in periodicas incidit, quae tertio quoque die, non levi accessione recurrebant. Quibus longo tempore vexatus, in urbem tandem rediit, sui desiderium rusticanis hominibus

relinquens, nec omnino saluti pristinae restitutus.

Et hic nova illi, nec opinata quidem, virtutes plures exercendi materies. Plane se indignum existimans, qui Sociis praeficeretur, ac praeterea exhorrens ad tanti muneris pericula; litteras impetraverat a Generali Societatis Praeposito, ne unquam a Provinciae Praesidibus ad gubernandum cogeretur. Nihil his obstantibus, anno millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, expediens Moderatori visum est, vehementer illum obtestari, ut domus, quam incolebat, gubernationem capesseret. Non is erat Augustinus, qui obstinato perperam animo, ad hujusce dignitatis nomen expavesceret; sed quoniam vitam agere privatam, optimum sibi ducebat, ac male de semet judicare antiquissimum habuit; timebat nimium quantum, ne, qui se vix poterat, alios regere nesciret. In praesentia vero tam efficaci Superioris voluntati obsequendum existimans, utcunque reluctaretur animo, et secum pericula cogitaret, obire munus nihil distulit, ac Deo commisit eventum. Hanc unam animi dispositionem exigebat ab illo supremus rerum Dominus, qui non ipsum longo tempore ad id honoris extollere, sed ejusdem obedientiam, et religiosam demissionem experiri decreverat; ut etiam Socios edocere, futuros rei testes, quo sint animo ineundae, quo deponendae dignitates. Octavo quidem die, postquam publice conspectus ille fuerat in munere constitutus; in privati gradu denuo comparuit.

Res

Res autem fuit ejusmodi: Collegium illud Divi Gregorii, quod Mexicanorum bono, ac profectui totum fuisse demonstravimus, decessor proxime gubernarat Antonius Herdonnana, qui et amabat illos effusissimus, nullis non sibi devinctos beneficiis; et ab ipsis, quibus oppido gratus est animus, vicissim amabatur. Ii cum aegerrime tulissent, ab domus gubernatione removeri Antonium, quem, nisi dulci Parentis nomine, nunquam appellabant; ad Mexicani Antistitis pedes provoluti, beneficiaque memorantes innumera, quae in eos Antonius contulerat; infimis orabant precibus, ne ab regendo Collegio, quod merito suum vocabant, Herdonnanam evelli pateretur. Antistes, qui et indole beneficus, et paterna in miseros illos charitate nulli fere secundus; ad Provinciae Moderatorem detulit Mexicanorum vota, et lachrimas pro Antonio de ipsis benemerito. Annuit ille petitioni; et nihil dubitans, laetum Augustino futurum nuntium, nullis usus verborum ambagibus, rem, ut erat, enarrat, et successorem renuntiat pro munere ipsum, qui ante dies octo ab illo decesserat. Quem quidem honorem et promptius, et lubentius deposuit Augustinus, quam e manu prunam projiceret.

Ad sex circiter annos in erudiendis, inserviendisque Mexicano sanguine indigenis adlaboraverat; cum ad Professorum domus Ministerium accersitur, quam provinciam fractae ipsius valetudini Moderator idoneam judicavit. Verum is erat homo, qui qualemcunque aggrederetur,

tanta sibi ultro superimponebat onera, ut humanis non portanda humeris viderentur. Ita quanquam pro muneris occupationibus nec extra domum posset, nec domi teneretur expiare animos in poenitentiae tribunali; ut tamen charitate flagrabat, se se ab omni alio expedire festinabat, quoties huic operi vacandi daretur opportunitas. Quod siquis Socius in morbum incidisset; nullum, quod ipse posset, aegrotanti praestare officium omittebat: ut hujus charitatis gratia bis per id temporis ad mortem proxime accesserit. Anno hujus saeculi undesexagesimo cum in carcere publico arderet exitialis febrium lues, hanc serpentem contagionem secum domum detulere Socii, qui moribundis de more ministratum ibant. Quatuor illi fuere, quorum tres tandem, charitatis victimae, vitam posuerunt. Assiduus diu, noctuque Augustinus ad istorum cubilia, postremo defatigationi succubuit, ac morbo infectus est. Parum illi erat mortalis vitae periculum, quam flocci semper aestimaverat, et quoties occasio tulerat, charitati lubentissime posthabuerat. Acrius urgebat animum, atque ad desperandum de sua aeterna salute vehementer impellebat horribilis pavor, cum de reddenda sibi ratione ante Divinum Judicem cogitabat: ut cum tandem juberetur a Medico Eucharisticum suscipere Numen, pro extremo illo itinere viaticum; incredibiliter ad notitiam exterritus, omnino non auderet. Mirabilis sane Deus in arcanis consiliis suis! Quidnam hoc esset, quod virum apprime justum, et
con-

conscientia illibatissimum agitabat intrinsecus, ex ejus verbis intelligamus: *Equidem*, familiari cuidam dicebat, *gravi me culpa reum timeo, quoniam erratis, tametsi levibus, in Societatis Institutum peccari ab aliis neglexerim: proinde servi infidelis nomine damnabor, quem constituerat Deus super familiam suam. Novi profecto, nullum esse ullum peccatorem, qui, dum viam mortalitatis agit, veniam impetrare non possit, si modo admissorum criminum ipsum poeniteat. Atqui me non poenitet, dum exercendo insisto muneri, cujus partes voluntaria negligentia non impleo. Incumbam, ut necessarias virtutes mihi comparem? At interea detrimentum patietur Dei gloria, quam procuraret quivis unus, qui me valentior Institutum tueretur incolume. Unum tamen mihi superest, quod Deo praestare valeam sinceri mei doloris indicium, ac firma jam voluntate me praestiturum polliceor: si nimirum datum mihi sit convalescere, nullis non enitar ad Superiorem conatibus, ut ab hoc loco, cui satis non sum implendo, confestim me amoveat*. Id postremum cum ferventiori pronuntiasset voce, serenitati restitui visus est, potuitque ad Medici praescriptum Eucharistico pane praemuniri. Verum tentare Deus decreverat, non eripere a nobis hominem; cujus operam in eodem loco ad utiliora post paucos annos officia reservabat. Nec Provinciae Moderator, quantislibet ab eo precibus urgeretur, votis annuendum censuit de remittendo Ministerio: quandoquidem, iniqua nimium suimet opinione ductum Augustinum se calumniari, nemo unus erat, qui

 lu-

luce clarius non videret. Hac itaque spe destitutus, quod unum sui erat, id effecit; accuratius videlicet Instituto studere, ac domesticae disciplinae accuratius invigilare. In praesentia tamen vix paululum a morbo confirmari valetudo ejus inceperat, jubetur otii causa secedere in praedium, altero, et vigesimo ab urbe Mexico milliario, juxta Tetzcucum, Regum olim sedem percelebrem, incolis hodie frequentissimam. Sed nimirum requiem a Christianis sudoribus nescit homo, quem intus agitat Divina Charitas! Qui recreaturus vires in suburbanum missus erat, ea rusticatione usus est; ut consulto missum crederes ad albescentem messem immensis laboribus colligendam. Per totos eos dies, qui sane non pauci fuerunt, non cessavit ab ingenti hominum turba, qui e propinquis locis, ac Tetzcuco praesertim, ad ipsum accedebant, tum expiaturi crimina, tum e suggestu divina nuntiantem audituri. Mirum profecto, qua ratione pro tantis laboribus homo unus, et hic a gravi morbo recens, potuisset sufficere! Sed prorsus Divina voluntate factum est, ut, nihil defatigatione impediente, Mexicum tandem se reduxerit sanitati redditus; qua nempe sanitate fungi poterat, qui nunquam bona utebatur valetudine.

Ad suum restitutus Ministerium, totus erat in omnibus ejus partibus accurate exercendis, cum post paucos menses vaticinantis vocem audiit, quem eximiae sanctitatis, et primae fidei virum ille noverat in arcanis. Qui sane vati-

ci-

cinans, haec ad Augustinum intonuit: *Ardebit Mexici contagio: complures Professorum domus Socii lue ista corripientur: periculum evadent omnes, unum duntaxat si exceperis*, (et nomen illi dedit) *quem sanitati reddendum non intellexi a Numine:* (hunc ipsum paucis post diebus omnino asseruit moriturum) *nec cessabit malum, donec in Eucharistici Jesu honorem Novendiales agantur preces.* Et quidem Septembri mense, anno currentis saeculi primo, et sexagesimo, grassata est Mexici pustularum lues, quae rapide dilabebatur ingenti strage, pueritiae praesertim, magnam merito, et suavi charitatis odori materiem Sociis Mexicanis offerens, qui pestilentia correptis incredibili sedulitate inservierunt; quod in funestis id generis diebus habuere semper solemne. Sciscitatus est Augustinus ab ominis praedicti auctore: num haec esset, quam calamitatem praesagierat? *Nequaquam*, respondit; *sed hanc proxime subsequetur.* Utique procedente anni cursu, cum vix remisisset pustularum malum, aestuantes febres Mexicanam gentem horrendum in modum depopulatae sunt: quibus quidem ejusdem naturae febribus ante annos quinque et viginti per universam Novam Hispaniam serpentibus, homines ad decies centena millia circiter emortuos fuisse, memoriae proditum erat. Ejusmodi febres, nihil antea notas ibi gentium, appellarunt indigenae Mexicana voce *Matlazahuatl*, quod eorum lingua notat, Ulcus in omento, aut glandulis. Ea nimirum lingua sunt homines, nunc etiam nuncupati barbari, qui simplici vo-

ce

ce definierunt apprime morbum, ejusque causam indicarunt; priusquam Medici remedium, neque dum nomen in Hippocrate invenirent. Profecto quotquot iis febribus laborabant; aut ore, ac naribus corruptum sanguinem evomebant, aut ardentes tumores ad eas arterias patiebantur, quas vocabat Celsus parotides. Nec silentio praetereundum censeo, quod tribus abhinc annis mecum tacitus demirabar: videlicet, facta rursus vigintiquinque annorum periodo, sinminus ejusdem naturae, mortiferas certe febres iterata calamitate Mexicanum regnum invasisse. Quod anni est primi et sexagesimi, copiosissimam sudoris messem habuere Socii tum in quatuor Mexicanis Domibus, tum in aliis etiam Urbibus; quorum sane non fuere pauci, qui vitam gloriose ponentes in charitatis ministerio, ad aeternitatis praemium avolaverunt. Augustinus, ubi malum furere intellexit, conductam in suburbio domum ad Nosocomii formam comparat, ubi cubilia, stragula, Medicos, medicamenta, valetudinarii Ministros, caeteraque ad aegrotantium curationem, et solatium necessaria suppeditat. Erectae domus administrationem externo cuidam credit, Thomae Arsdekinii nomine, bonis olim fortunae munito; tunc temporis unum salutis aeternae cogitanti negotium: qui postmodum ad Jesuitas transiit Socius Adjutor, et cancri doloribus invicta patientia toleratis, Veracruce sancte obiit. Magni fuit adjumenti Augustino hujusce hominis vigilantia pro rebus oeconomicis; ut pro animo-

morum commodo indefessa Sociorum Sacerdotum charitas, qui ultro daturi operam sublevandis miseris occurrebant. Quicunque ad Nosocomium hoc accederent, obstupescebat prorsus ad operis magnitudinem: ut aperte diceretur Mexici, nullibi per totam Urbem commodius aegrotis esse, quam in illa misericordiae officina. Brevi propterea tempore cum quot erant lectuli, tot jam decumberent; ac deinceps portarentur sine numero, quorum pars jacebat ad fores opportuno auxilio destituta; temperare sibi non potuit humanissimis visceribus homo, quin istis etiam consuleret. Continuo vocat opifices, ac, tanquam tota sibi esset monetalis officina, praegrandia lignea conclavia in propinquo solo aedificari jubet, asseribus undique bene coagmentatis, ne per fissuras aeri locus esset. Mire tempestivum in dies crescenti numero profugium! Intra hebdomadem ut plurimum aut fato cedebant infirmi, aut periculo dicebantur immunes: alteros ex Ecclesiae ritu curabat sepeliendos; alteros, quo locum darent quotidie venientibus, in sella gestatoria deferri praecipiebat ad Fratres, vulgo appellatos Bethleemitas, qui ex Instituti sui munere in recentes a morbo recreandos incumbunt; quibus tamen Augustinus expensas pro iis, quos immiserat, solvebat, donec penitus convaluissent. Atque in hunc modum in suo numeravit Nosocomio ad septem millia capitum, et unciales argenteos ad quatuordecim plus millia pro sumptibus erogavit. Et cum esset tum indole, tum modestia ni-

nimium quantum alienus ab stipe corroganda, maximopere mirabantur omnes ad ea magnifica impendia; sed nimirum ignorabant, ultro a praedivitibus, ac piis hominibus offerri pecunias. Introgressus quadam die lintreariam officinam, nonnulla pro suis infirmis necessaria coempturus, in haec a Mercatore interrogatus est. *Tu ne Sacerdos ille, cujus curae commissum est Jesuitarum Nosocomium?* Et ajente Augustino: *Ecce igitur*, inquit Mercator, *totam meam sortem*, *quantulacunque illa est*, *arbitrio tuo libentissime polliceor*. *Is ego sum*, *cui neque filii*, *neque cognati*, *neque ullus uspiam est alius*, *quem debeam bonorum meorum haeredem instituere: propterea tuam syngrapham ut videro*, *pecunias exhibebo*. *Agedum liberrime: nam in deliciis mihi erit hoc coelesti Numini Sacrificium offerre*, *miserisque aegrotantibus*, *ratione mea qualibet*, *inservire*. Grates, quod par erat, effusissimas retulit Augustinus; invicem Dei nomine praemium aeternum pro tanti meriti misericordia pollicitus. Nec recusavit ipsum necessitatis tempore convenire; ad moderatissimae tamen prudentiae terminos.

Quod si instar miraculi habebatur, ingentibus ejusmodi sumptibus providisse hominem, quo religiosius nemo unus paupertatem colebat; mirabilius profecto censendum est, quod innumerae occupationum turbae satis esse potuisset anima ejus, quantumvis natura magnopere grandis, in corpore tamen diversans tum macie, ac morbis, tum voluntaria maceratione consumpto. Praeter vigilantiam rebus domesticis praestitam,

a qua

a qua deficere nefas duxisset; quotidie diluculo in suum Nosocomium contendebat: infirmos singillatim visitabat: ad Sacrum Viaticum eos comparabat, quibus imperatum erat a Medico id suscipere: animam agentibus assidebat longiusculus: afflictos humanissimis verbis solabatur: domus administro praescripta dabat opportuna: et in his agendis omnibus a tranquilla sua dignitate nihil recedebat. Ab hujusmodi expeditus, quamceleŕrime dabatur, per compita urbis ibat, frequentia hominum stipatus, quorum.quisque, pro suis aegrotis sacra confessione expiandis, ipsum precabatur. Neque ab iis cessabat, nisi cum, meridie tandem facto, domum remeare opus esset. Quod si parco semper, parcissimo certe per eos dies alimento utebatur: inde genibus nixus, ut sibi moris erat, Sacerdotalem precationem solvebat, rei domesticae providebat, ac nulla prorsus meridiatione, aut modico etiam intervallo, ecce rursus hominem ad domus fores; ubi ex immenso confluente populo pro infirmorum confessionibus, eos sibi comites legebat, qui ad moribundos deferrent non nimis longe positos a via, quae in suum ducebat Nosocomium. Et certe cum in hoc demum pervenisset, operam dederat, altero quoque gradu, lue tactis poenitentia purgandis. Ibidem iisdem eodem animi fervore repetitis officiis, quae mane peregerat; postremo multa jam nocte domum recipiebat se se: neque tamen aut cubitum ibat, aut novo alimento vires reficiebat; sed rebus domesticis de more dispo-

dispositis, Janitorem monebat, ne Socium ullum pro confessionibus omnino e somno excitaret: *etenim*, ajebat, *quiete illis opus est, cum ad totam diem, nec modicam noctis partem adlaboraverint*. Ac tanquam interea ipse oscitanter torpuisset, vocari se praecipiebat, ut primum aliquot essent, qui Sacerdotum ministeria postulavissent. Utique ad secundam noctis vigiliam, urgente jam petentium multitudine, domo exibat Augustinus, certiore facto Janitore, qua cursum dirigeret; ut nimirum accedentes postea, qui Sacerdotis auxilium implorarent, mitteret ipsum quaesituros. Ita per totam noctem nunc hac, nunc illac circumlatus, non cessabat a charitatis officiis; donec, appropinquante diluculo, templum domesticum, sacra peracturus, redibat: quo tempore pietati erga Numen dato, nova jam illucescebat dies, nihil ab anteacta dissimilis. Nemo erat profecto, cui notum esset, quam ille haberet vacuam ab laboribus horam, nedum ad dormiendum, verum nec ad sedendum paulisper, nisi ad peste infectorum incommoda, et olida cubilia. Et hi sudores pro totis sex mensibus protracti sunt, quibus efferbuit contagio; etiam nihilo aestimatis, qui quatuor menses proxime antecesserant, quibus pustulas per totam urbem debacchantes memoravimus. Haec, sane mirabilia, fortasse ultra fidem quis credet; verumtamen nihil refero tota tunc Mexico non vulgatum, et quod non possint primae fidei testes adhuc, dum haec scribo, superstites confirmare. Tandem, copiosis

su-

supervenientibus pluviis, cum per Urbem remittere inchoasset malum; vehementi furore domui Professorum ingruit. Mirum plane, quod non omnes, quotquot ibi erant Socii, ut una inflammavit charitas, una etiam febris victimas charitatis abstulerit! Augustinus, qui nihil sibi pepercerat in ope ferenda externis; pari invigilavit sollicitudine in sublevandis domesticis, quorum undeviginti periculose infecti contagione sunt: pari, inquam; quoniam majorem adhibere certe non poterat. Assiduus per omnium horum cubicula excurrens, singulos humaniter solabatur, indubitate affirmans, periculum evasuros. Unum duntaxat ejusmodi verbis non recreavit Joannem Laurentium Sanabriam, quem fato cessurum asseverans, totam vaticinii seriem quibusdam manifestavit. Equidem absolvendos a temeritatis nota eos arbitror, qui tunc temporis suspicati sunt, Augustino patefactum a Numine, quod ipse, fortasse ambiguis verbis, ab alterius ore dicebat se intellexisse. Utique Sanabria unus diem functus est. Postremum omnium lues invasit Augustinum, qui primo die obseratus in cubiculo constituerat, (quod in levioribus solebat febribus) ad secundam, tertiamve lucem nihil penitus vesci, nihil bibere. Sed cum ea omnia contagionis animadverteret indicia, quae in caeteris expertus fuerat, opus fuit ostium aperire Medico; cujus quidem opera suo tandem tempore convaluit. Et jam per eos dies post imploratum solemni pompa Mariae Virginis Lauretanae subsidium, aliasque

Su-

Superis preces ferventer immissas, publice indixerat Novendiales in Eucharistici Numinis honorem Pontifex piissimus, nihil certe conscius, hanc itidem partem esse memorati vaticinii. Tam gravi demum periculo perfuncta civitas, ad pristinam aeris benignitatem restituta est, atque Augustini charitatem gratissimi animi significationibus in coelum extulit.

Haec inter cum ad annum hujus saeculi tertium, et sexagesimum ventum esset, a Ministerio remotus Augustinus, in Provinciae Procuratione collocatur; quo quidem munere tum hominis naturae, tum anteactae ipsius vitae rationi repugnantius nullum excogitari unquam poterat. Quales essent in ejusmodi officio praecipuae partes, satis a nobis dictum est, cum Joannem Villavicencium Provinciae Procuratorem descripsimus. Eo fortasse accommodatum huic muneri judicavere Augustinum Superiores, quoniam Minister non vulgari laude se gesserat in rei domesticae administratione, ac miranda visus fuerat industria in thesauris ad Dei gloriam, atque egenorum subsidium reperiendis. Verumtamen in novo munere longe difficiliora, implicatioraque negotia occurrebant; quibus se satis futurum, vehementer dubitabat. Utcunque autem se res haberet, humeros supposuerat demissus oneri gravissimo, atque inopinato, ac Procurationis possessionem adierat; cum Josephus Carrillus, ad plures annos domui Praefectus, quam Exercitiorum Spiritualium appellabant, affecta jam usus valetudine, vacationem

a mu-

a munere postulavit. Continuo successor dicitur Augustinus, qui sane maxima voluptate audivit renuntiatum se ad officium, in quo exercendo, nihil jam de bonis fluxis, et caducis ageret; sed aeterna, et divina tum sibi, tum aliis procuraret. Hanc domum, exercendis in pietate hominibus destinatam, Mexici ad Divi Andreae Collegium, Arae Coeli nomine, construendam curaverat bono publico Christophorus Escobarius, quem alias memoravimus eximiis dotibus, atque ingenti animo virum. Carrillus ad decem annos Praefectus, tanta cum laude adlaboraverat in iis excolendis, qui pro sacris meditationibus illic recedebant; ut cum illum ab officio moveri Mexicani audirent, aegre inveniendum crederent, qui locum pari posset fervore animi, et naturae dotibus adimplere. Brevi tamen intellexerunt, quantus erat merito, qui destinabatur successor. Quo tempore munus adiit Augustinus, propemodum extincti erant, nescio qua calamitate, reditus illi, quibus alebantur olim per dies octo pro singulis mensibus homines ad triginta, sacris meditationibus dantes operam. Propediem novus Praefectus, cui pecuniarum esse thesaurum in Divina fiducia demonstravimus, rationem facile invenit, alendorum numerum duplicandi. Nec enim semel in mense, ut olim; sed iterum, atque interdum tertio, sacrae illi hebdomadae vacantes, qui vice qualibet triginta ut minimum erant, percommode sustentabat. Ad haec, gravissimis impendiis ampliare domum aggressus est; ut e

vili etiam populo quicunque vellet in tanti boni communionem venire, nulli deesset opportunitas. Quotidie matutinam, et vespertinam de rebus divinis concionem agebat; pro qua postrema nulli prorsus, qui accedere inter audientes vellet, negabatur aditus. Et confluebant frequentissimi, magno sane fructu civitatis universae: plures enim, qui per ipsos octo dies ab officio recedere plane non poterant; vespertino tempore ad horam non incommode vacabant. In constituta pro diebus illis distributione horarum, praeibat ipse instar seduli paedagogi: nec ad quatuor duntaxat consuetas horas meditationibus destinatas, genibus semper flexis, immotus in sacello durabat; verum et ad plures alias, quibus parare proximam concionem assueverat; ut ad nonnullas etiam, quas a somno levabat: nam ut in semet crudelem esse in delitiis habuit, vix quietis paululum corpori dederat, se se a tanta defatigatione recreatum satis arbitrabatur. Pro prandio, et coena nunquam non ipse, tanquam conductus pretio servulus, sedentibus inserviebat. Nihil opus erat opportunum tempus captare Praefectum conveniendi: aut enim stans in cubiculo, aut genibus nixus in sacello, benignus excipiebat hora qualibet accedentes, sive expiandi confessione aures peterent, sive afflicti, turbative intrinsecus, solatium, et consilium exquirerent. Notum erat Mexici, quantus ab illa domo fructus existeret, quam nova rerum facies in civitate appareret: ac mercatores praesertim, quorum pars non modica

dica

dica Praefecti gubernationi se se dederant, atque alternis vicibus in praedictam domum secedebant, suavissimus Christianae pietatis odor praeclaros effecerat. Resonabat undique grata admurmuratio cum Augustini laude, quem *Sanctum Patrem Marquezium* vulgo appellabant, cujus vitae tenorem nulli mortalium facile imitandum ajebant, propterea que dignum plane caelestibus incolis praedicabant; plura insuper de ipsius concionum efficacia, mirabilique dicendi novitate narrantes. Audiebat haec, quae nimirum amplificata insanis vulgi rumoribus suspicatus est, Sacerdos quidam e conspicua religiosa familia, meritis ipse illustris, Doctorque Mexicanae Academiae; qui cum existimaret, nihil hominem posse dicere, quod suis ipse in libris persaepe non volvisset, decrevit experiendi gratia semel concionanti interesse. Ac sane interfuit curiosus primum, inde commotus animo, postremo suam illam suspicionem omnino deponens, ac praeterea constituens, ipsos octo dies sacris meditationibus sub tanti fervoris Magistro vacare. Quod utique cum fecisset, nonnullis difficultatibus egregio pietatis exemplo superatis, haec ad Augustinum asseveravit: *Equidem tot jam annis gubernationis munera in mea familia recusavi; nunc enimvero decrevi, quoad liceat, eadem petere, id unum profecto intuens, ut qui Subditi mihi fuerint, te magno, et germano Christianae rei Oratore, Divinis commentationibus in hac Ara Coeli exerceantur*. Tanto erat nomine Augustinus inter primarios etiam do-

ctrina, et pietate viros! Nec his domi contentus occupationibus, exibat interdum e chara solitudine, tum Sanctimoniales pro confessione auditurus, tum opem laturus extremo in certamine luctantibus, qui praesentem illum desiderabant; tum Fratrum Bethleemitarum gubernaturus conscientias; a quo pristino suo munere, tantis etiam laboribus auctus non cessaverat. Et hi quidem grato colentes animo viri optime de se meriti memoriam, ejus postea imaginem in tirocinii sacrario collocarunt.

Mense tandem Junio, anno saeculi vertentis septimo et sexagesimo dabatur opera solito meditationum exercitio; cum sub diei quarti auroram, quo tempore Divinis rebus in sacrario intendebat, monetur Augustinus, expectari se ad proximum Divi Andreae sacellum, in quo Socios omnes congregari, ab Regio Legato nuntius imperaverat. Semel, iterumque admonitus ille, aut prorsus non audivit, aut certe, quid rei esset, non intellexit; donec tertio vocatus, continuo properavit, in designatum locum contendit; ac, lege audita de Jesuitarum exilio, adeo a tranquillitate non decidit, ut, exorata facultate, sacrarium suum regressus sit, hostiamque Divinam immolaverit, nihil festinans, nihil indicii ferens, de se, ac Mexicanis Jesuitis omnibus actum esse. Post Missae sacrificium, gratias de more peractas, caeteraque perfecta, quae tempus exigebat, valedixit iis, quos ad proximum triduum meditationibus exercuerat, postremoque lachrimantibus indixit, ut domum

pete-

peterent quisque suam. Ac tunc demum intelligere potuerunt, cur Augustinus, qui semper in ejusmodi concionum exitu de fructu intendendo pro dierum octo meditationibus loquebatur; in toto illo triduo nunquam de diebus octo, sed de triduo duntaxat mentionem facere auditus sit. Et cum nihil dubitarent, inopinatam Jesuitis calamitatem venisse; non immerito suspicati sunt, Augustinum coelesti voce fortasse praemonitum. Secessit ille in cubiculum, ac brevi exivit pro immenso itinere paratus: nam ut sacrarum precum codicem, et Christi e cruce pendentis imaginem aeneam assumpsit, satis se instructum supellectili existimavit, vultuque festivo se se inter Socios immiscuit. In primo statim diversorio laneam culcitam, inscio sibi ante exitum ab urbe destinatam, invenit. His tamen delitiis non assuetus, quippe ante annos plurimos culcitam nescierat; hac etiam tempestate recusavit: proptereaque Fratrum Bethleemitarum praedium in itinere cum contingeret, precario tandem obtinuit, ut pro culcita laneum stragulum, usu tamen attritum, substitueretur; quam sane charitatem, pollicitus est, grato se animo repensurum. Xalapam, Hispanorum nundinis nobile oppidum, ad orientem Solem, centum octoginta milliaribus ab urbe Mexico, rhedis devecti pervenerunt exules. Inde tamen Veramcrucem usque cum propter vias salebrosas rhedarum commoditati locus ultra non esset; pro tot portandis hominibus, in ea temporis angustia, huc illuc equi gestatorii per-

 qui-

quirebantur, atque idonei quilibet putabantur, si modo unam haberent maxime necessariam dotem, ulterius progrediendi. Et sane dubitatum ab initio est, num hac etiam ille careret, qui casu obtigit Augustino: nam agasonibus testibus, nondum habenis assuetus, vix ephippia, aegerrime sessorem pati poterat. Nihilo tamen minus ad totum triduum vexit hominem, nimia interdum familiaritate tractatus, quin vel minimum daret nativae ferocitatis indicium. Ut autem domitorem illum, nihil equitandi gnarum, deposuit; superbiori rursus intolerantia comparuit: quod cum illi ipsi, qui conduxerant, mirarentur; tribuentes nimirum sessoris sanctimoniae, tanquam portentum enarrabant. Coelum Veraecrucis (quod alibi descripsimus) eo fuit Sociis insalubrius, quod in tanta rerum perturbatione angustius erat illis diversorium. Proinde nullo intervallo in lethales incidere febres, easque contagiosas, quae in afflictorum multitudinem serperent: ut misericordia commotus Regius urbis Praefectus, vacuam alteram domum pro Sociorum Nosocomio destinaverit. Augustinus, quanquam ejus salus nonnihil in periculo esse videretur; jussus est a Provinciae Moderatore hanc domum gubernandam suscipere, atque in auxilio aegrotis praestando adlaborare. Medicus ut conspexit extremam hominis maciem, et vultus pallorem, nihil anceps fuit in illo numerando inter primos, animam nulla mora efflaturos. Verumtamen ejus vitam Sociorum commodo, ac solatio, plus adhuc anno

pro-

protraxit, qui ludit in orbe terrarum Deus. Et hanc vitam pene miraculo servatam, quantis ipse periculis exposuerit, quantis defatigationibus afflictaverit; satis ab ejus ore, cum jam morti propinquus esset, didicimus; nam ad familiarem locutus: *Beneficio*, *ajebat*, *singulari donavit me Deus*, *quod nulla ferme nocte dormierim pro totis illis septem mensibus*, *quorum spatio Veramcrucem infirmorum domui Praefectus incolui*. Nec a veritate aberrasset, id etiam adjungens: beneficio se donatum a Deo, quod neque manducaverit propemodum, neque biberit, neque penitus requieverit. Ita numerare potuisset inter collata sibi a Numine beneficia, quod centies non conciderit mortuus inter languida moribundorum brachia, quibus totam pene diem, totam certe noctem dabat, quo Mater amore ad unigenae discrimen sollicita. Laternam noctu semper habebat paratam, ut, siquis aegrotus moveretur, ad opem ferendam continuo accederet: ibat alternatim per singulorum lectula, male contectos operiebat, sitientibus potum dabat, dolore cruciatis levamen procurabat, moerentes solabatur, animam agentibus auxilium ministrabat, cadavera feralibus vestibus induebat, pro vita functis diluculo rem sacram offerebat. Et quod profecto mirandum, tanto laborum pondere defatigatum corpus sive pauculo duntaxat juris, sive modicis leguminibus versus meridiem reficiebat; quo levi sumpto alimento, per brevissimum temporis spatium, cubitum recedebat. Vulgabatur jam in urbe tota, quin

et Mexici per litteras audiebatur, Augustinum apprime similem se gerere Francisco Xaverio, cum Venetiis operam praestaret indefessam Insanabilium Nosocomio.

Interea cum, data navium opportunitate, mari committeretur maxima Sociorum pars; discedens Provinciae Moderator, vices suas pro reliquis in Nova Hispania functurum Augustinum renuntiavit. Et hic in dignitate constitutus, paulum remittente vi febrium, intercapedinem occupavit, ut suos omnes comparandos itineri, sacris meditationibus exerceret. Procedente tempore, ac rebus jam paratis, Praefectus Regius diem profectioni dixit pro Sociis omnibus; uni liberum Augustino relinquens, si manere adhuc vellet, cum iis postmodum deferendus, qui variis distenti casibus, nondum poterant Veramcrucem pervenire. Vitam ille agebat fortasse miraculo; difficilem tamen: nam praeter morbos pristinos, obstinata recens febri tertiana, ita erat fractus, atque attenuatus, ut omnino vivere diu non posse crederetur. Suos vocat in concilium; aperit, quali sit valetudine; rogat, num praestare putent, mari se dedere, inter Socios (quod nimirum optabat) in itinere moriturum? Num ibi expectare venturos, cum alias nihil fere dubitaret, interiturum se ante ipsorum adventum? Paucis deliberatum: nam tum omnes cupiebant hunc Dei amicum secum ferre comitem pro maris periculis; tum etiam confidebant, benignam ipsi futuram coeli mutationem. Hac omnium consensu sententia

pro-

probata, parat pro itinere supellectilem, quae paulum jam increverat: accesserant enim ad ea, quae supra memoravimus, laneum alterum stragulum, taurinum corium, cervical nulla tela linea contectum. Priusquam navim conscenderet, prope littus in genua procubuit ante pulcherrimam Guadalupanae Virginis effigiem, cujus auxilium precibus, Litaniarum nomine vulgo notis, elata voce imploravit. Confluxerant Veracrucenses, qui fama duntaxat sibi cognitum hominem frequentes, ac lachrimantes sequebantur; oculorumque nutu, cum verbis non possent, abeunti valedicebant. Ita demum, postquam Socios tres ac triginta, paucorum mensium commoratione, sepulchro ibi mandaverat; tertio Kalendas Februarias, anno hujus saeculi octavo et sexagesimo, solvit e Nova Hispania, cujus bono ad tot annos ferventissimo labore insudaverat. Navarchus, qui summa illum veneratione prosecutus est, lectulum in conclavi parvulo ipsi destinavit juxta navis Sacerdotem; neque datum fuit, quanquam totis tentavit viribus, hanc qualemcunque commoditatem vitare, sibi certe debitam et muneris, et prostratae valetudinis nomine. Id tamen sex et viginti dierum spatio tantummodo, donec Habanam tenuere: nam ibi requiescere imperati in suburbano ad oram maris contra urbem; cum navim denuo conscenderent, nullis flecti precibus potuit Augustinus, ut conclave primum repeteret. Obstinavit animo in Socii jacere lectulo, qui per eos dies interierat; cujus obfirma-

mati consilii causam in haec reddebat. *Nulla suavior, castiorque voluptas, quam, dum Socii patiuntur, et te pati; ut nihil acerbius, quam te unum, qua illi carent, commoditate perfungi. Satis me puduit, quod in anteacta navigatione vos inter omnes a Navarcho fuerim obsequiis decoratus immeritis.* Milliaria quadraginta supra ducenta ut ex Habana conficiuntur, ad totidem alia tractus maris est, quem Canalem Bahamensem appellant, ob scopulos et plures, et latentes interdum, periculosus inprimis. Hunc ingressi canalem, cum primum leni flatu provehérentur; adversus repente ventus fremere, mare inhorrescere, majores in singula momenta cieri fluctus, atque in Floridana littora, quae maxime fugiebant, navigantes ferri, certissimo periculo naufragium faciendi, si in cautes, quae frequentes erant, impingerent. Eo ventum est, ut, de proximo cum timeretur interitu, cuncti oculos in Augustinum intenderent, si forte ex ejus vultu prospera liceret ominari. Stabat ille, modestus, impavidus, nihil ad imminentis periculi speciem commotus, uni Deo, quod solebat, tranquille intentus. Ecce tamen, cum jam jam vicina saxa proris attingerent; quiescit procella, cessat tumidus ille ventus, leniter succedit occiduus, quo nimirum opus erat omnino, ut ab extremo liberarentur discrimine. Complures fuere, qui Augustini precibus debere se crederent, quod incolumes evasissent. Atque ille in mari turbulento id interea piscatus est, ut sacris meditationibus excoleret nobilem quendam

dam vectorem periculo exterritum; qui subinde inter primos sanctimoniam hominis magnifecit. Septuagesimo tandem die Gades appulerunt, unde in Mnestei portum Socii transducti, ad Fratrum Coenobium, quod Hospitium Charitatis vocant, collocantur. Plane acciderat, ut navigationis beneficio meliuscule se haberet Augustinus: proinde libentissime se praestitit Sociorum desiderio, qui e remotissimis orbis partibus in idem illud diversorium cum convenissent, divinis commentationibus simul omnes per dies octo vacare constituerunt. Post biduum, unanimi omnium voce rogatus est, ut praeter nocturnam concionem ab alio factam oratore, pietate, ac doctrina eximio, ipse de rebus iisdem mane diceret. Audierunt illum quamlibenter, atque una fuit audientium opinio: nisi ex frequenti cum Superis commercio, non potuisse Augustinum miranda illa, divinaque prorsus haurire lumina. Duplicem inde fructum consecutus est: nam et Sociorum bono pro viribus incubuit; et quoniam sudantem a concione frigus invaserat, morbum in ministerio contraxit, quo pristinam debilitatem adaugente, post paucos menses a mortalibus evolavit.

Ita in pejus ruente valetudine, transductus fuit ab Hospitio Charitatis ad illud Jesuitarum olim diversorium, unde Mexicum versus, ut supra demonstratum est, itineri se dederat ante annos quatuor et triginta. Lenta illa febris, qua consumi sensim videbatur, nihil impediebat, quominus Rem Sacram quotidie perageret, aliis-

aliisque divinis intenderet; quantumvis ita esset destitutus viribus, ut in via ad sacellum domesticum humi sedere cogeret interdum debilitas. Mira interea fruebatur voluptate, quod in coelestem patriam properaret, brevique sibi futurus esset mortalis vitae terminus; quam unam ajebat certissimi exilii nomine appellandam. Id sane mirum sibi erat, quod nihil angores, et anxietates experiretur, quas saepe in iis animadverterat, quos morti proximos persuavibus ipse verbis foverat, atque ad fiduciam in Dei misericordia nutriendam excitaverat. Nondum hora venerat, ipsi terroribus purgando praefinita. Socii cum hominem conspicerent, cadaveri quidem, quam viventi similiorem, infirmis orabant precibus, ut Medici potestati se concederet. Indulsit tandem communibus votis; accersitur Medicus, qui confestim jubet in lecto illum decumbere, ac paucis post diebus sacro Viatico praemuniri. Hoc munus deferendi Viaticum, sibi exoravit Socius quidam pietate, atque urbanitate singularis, qui Moderatoris vices agens, Provinciam Quitensem gubernabat. Venientem Eucharisticum Jesum suscepit aegrotus suis indutus vestibus, mire accenso vultu, genibus ante aram nixis, quam lecto propinquam erexerant. Neque multa post mora, sacro unctus oleo, diem perquamcupide suspirabat, quo tandem a corporeis vinculis solveretur; cum ecce ad teterrimas cogitationes cruciari coepit intrinsecus. Quadam repente nocte sensit se pavoribus, atque angustiis incredibiliter occu-

pa-

patum; quoniam mente videre, ajebat, nescio quae itinera aeternitatis, ac mortis semitas, quas interruptis, terribilibusque vocibus conabatur, nec omnino poterat, explicare. Atque hoc ipso tempore totus corpore agitabatur, miserum in modum concutiebatur, rabie quadam concitabatur, quam ipse dicebat, aeternis poenis damnatorum furori simillimam. Tremebat cogitatione perpendens, ne Dei jacturam aeternam faceret; quo tanto bono functurus aliquando, vel a primis pueritiae annis nihil interrupte insudaverat. In coelum intuens, demisse interrogabat, ubi nam ille Dei amor perfectissimus, pro quo in mortis hora consequendo, nihil cessaverat, iterare preces ad Superos? Idque verbis adeo teneris, atque ardentibus, ut lachrimas ab audientibus extorqueret. Sed a Deo, qui tentare volebat hominem, silentium altissimum. Se se ad homines convertebat, solatium enixe postulans; nec ullibi reperiebat. Ad Mariam Reginam Virginum confugere non omisit; conatus illos memoravit, quibus eandem Divinae Gratiae Matrem toto vitae cursu conciliare sibi pro extremi agonis hora elaboraverat. Sed redarguebat se se, ac nihil eos fuisse conatus fatebatur, ut tanti momenti beneficium promereretur; et hinc pietate erectus, in haec ad ipsam effundebat cor suum: *Equidem misericordem te volo, ne mea crimina impediant, quominus ad me afflictum dulcissimos vertas tuos oculos, quos ego nimirum ipsos misericordia plenos saepissime descripsi apud infirmos terroribus agi-*

ta-

tatos: id unum a te peto, criminis odium ingens, quod odio sane dignum est, quod odio Deus habet, quod a Matris utero tumet odisti. Mirum profecto, quod, se nequicquam precari, vereretur, neque plane intelligeret, illos ipsos ferventissimi amoris affectus esse, a propitio sibi Numine derivatos! Ab Sociis denuo, quoad enixe poterat, obsecrabat, ut ea suggererent, quibus maxime averteretur animus a fluxis rebus, ad unumque amore dignum converteretur: et quaecunque dicere inciperent, eo spiritus fervore, ac rerum ejusmodi cognitione pergebat enucleare; ut videretur ipse, opis ferendae gratia, moribundi lecto assidere. Fuit inter Socios, qui recreandum fortasse, atque a tetris cogitationibus avertendum infirmum existimaret, si ad musica instrumenta in suo ille cubiculo leniter cantare audiret carmen illud, quod Mariae Dolentis honori consecravit Ecclesia. Placuit quidem omnibus; sed quia nox erat, ad revertentem diem consilium exequi distulerunt. Id ipsum eadem nocte venit in mentem Augustino, nihil certe conscio, tale quippiam ab Sociis praecogitatum: quod cum aperiret suae valetudinis administris; pro insequenti die in id omnes convenisse dixerunt. E septem Sociorum Provinciis, quae permixtae ibi diversabantur, postridie concurrere aliquot musicae laudis non ignari; quos audivit maxima cum voluptate, nec levibus grati animi datis indiciis. Hoc iterum, tertio, ac saepius repetito, tum praedictum illud, tum Davidica plura carmina musicis

sicis modis ingeminabant. Ille, dum canerent tranquillo vultu suaviter effundebatur in lachrimas; ut vero cessarent, continuo succedebat amarum taedium, atque ad Dei Judicis memoriam in profundo cogitationum pelago rursus fluctuabat animus. Obtinuit sibi deferri Jesu cruce pendentis imaginem, cujus in amplexu emortuum Divum Ignatium memoriae traditum est. Ad ejus aspectum ut suavitate non modica primum perfusus, ita et ingentibus postea pavoribus agitatus est: quod se filium diceret a tantae sanctimoniae Parente degenerem. Nemo fuit ullus, qui non tremeret, cum inopinato videret testis in tam acerbo certamine constitutum hominem, quem praeclaris virtutibus ornatum, sane sperandum erat, inter delitias emoriturum. Utique paucis diebus, antequam fato fungeretur, in Socium familiarem conversus: *Ecce*, inquit, *conciliatum me Deo: inter amicos ejus sum: et quas ipsi pro tanto beneficio grates referam? Nulla par est voluptas illi, quam animo affert amicitia cum Numine*. Ab illo jam die tum vultu, tum animo paulum tranquillior visus est; neque tamen ea perpetua fuit serenitas: nam ex anteacta turbatione redibant nonnulli angores, ut ex procella fluctus. Anno tandem Christianae salutis post millesimum septingentesimum sexagesimo octavo, quinto Idus Decembres, intermortuis jam vocibus Sacerdoti respondens, qui ex ritu Ecclesiae Deo commendabat profecturam animam, in praedictae imaginis Jesu complexu, attollens in coelum

lum oculos, expiravit. Hoc per totam domum vulgato, quanquam intempestiva esset noctis hora, in defuncti cubiculum magno numero accurrunt Socii; manus, pedesque certatim osculantur; particulam attritae vestis, tanquam pretiosum thesaurum, quisque sibi adnititur comparare. Postridie cum per domus deambulacra sepeliendus deferretur, exiit obviam Socius quidam pietate venerandus, qui ob devexam aetatem vix e cubiculo pedem efferebat; ac vehementer obsecrans, ut pompa funebris suspenderetur parumper, ad cadaveris pedes provolvitur, eos inter lachrimas suavissime deosculatur, ac longiusculum colloquium, repentina impulsus dulcedine, ad emortuum intendit. Quoad per tempora licuit, honorifice tumulatus est in sacelli domestici parvo fornice juxta aram maximae proximam, ad latus dexterum. Brevibus lineis conceptum elogium, vitreo vasculo inclusum, pectori appositum est. Quatuor, et quinquaginta aetatis annos explevit, quorum ad triginta quatuor in Societate cum exegisset, Deo gloriam, sibi meritum, contubernalibus exemplum, bono publico utilitatem procuravit.

Miranda haec vitae series, quam retulimus, satis esset, quae dignum hominem posteritatis memoria faceret; pauca tamen singillatim de virtutibus ejus delibabimus. Amoris duo praecepta, in quibus tota vertitur lex, perfectissime adimplevit. Amavit Deum, qui amore per se dignus unus est; amavit homines, a Deo amatos, et creatos, ut aeternum fruerentur

ipso

ipso Deo. Nec Deum amari posse dicebat, quin opus ejus gratiosum amaretur; nec opus ipsum, quin Factor. Propterea unum agitare negotium de amando Deo tum ab se, tum ab omnibus hominibus, quidquid ageret, videbatur. Sacris meditationibus, ut demonstratum est, homines per dies octo exercere, antiquissimum habuit: quibus in diebus sive peccati turpitudinem, sive mortis memoriam, sive postrèmi judicii terrorem, sive poenas aeternum duraturas, sive alia quaelibet commentanda proponeret; mira facilitate in Dei amorem omnia referebat. Quorum conscientias in confessionibus moderabatur; ad assiduum, fervensque amoris Dei exercitium omnes informabat. Jampridem suum Mexici obiit diem quaedam foemina, satis quidem nota ut claro genere, sic et aliis corporis dotibus; cujus tamen animi venustas non omnino apparebat, cum se se in omnibus ad speciem aequalium sibi foeminarum componeret: hanc, Augustini consilio diu gubernatam, testabatur ipse postmodum, singulari sanctimonia fuisse, innumerosque quotidie, ac fervidissimos amoris Dei affectus elicuisse. Quidam alius, eodem usus conscientiae moderatore, tam vehementer in Dei amorem rapiebatur, ut ejus sibi conciliandi gratia, incredibilibus cruciatibus, quos vel dicere natura abhorret, se se affligeret; nec ab iis destitisset, nisi ab Augustino imperatus. Tam abunde per eorum pectora, quos moderabatur, serpebat flamma Divini Amoris, quae intrinsecus Augustinum urgebat! Hic sane cum in navi-

lectum, in Nosocomiis, ac diversoriis cubiculi solitudinem, hora somno destinata, ingrederetur; fere non interrupte audiebatur in ardentes precationes latentem ignem effundere: prorsus ut suspicioni locus esset, cum dilecto Numine ad totam noctem colloquia illum protrahere. In delirationibus ob aestuantem febrim, Deum in ore habebat mentis impos, quem compos unum cogitabat. Ad viginti propemodum annos coccolati usum sibi interdixit, quo magnopere delectabatur; id nimirum intendens, ut se moribundum perfectissimo Divino Amore donaret Deus. In agendis rebus, quoties Dei gloriam, aut hominum salutem versari, post maturam deliberationem crediderat; nulla hominum interposita auctoritate, a suscepto deduci consilio passus est. Interdiu sive in cubiculo esset, sive per domum inambularet; uni Deo intentus, et, qualem tradunt Socratem, ore atque oculis in eundem locum directis erat, in profunda cogitatione defixus; ut quisquis illum aspiceret, ad recessum a fluxis rebus incitaretur, atque invitus etiam de praesentia Numinis moneretur. Iis praesertim diebus, quos Divinis meditationibus totos dabat, adeo erat interdum ab sensibus abalienatus, ut sibi loquentes plane non intelligeret, nisi re iterum, aut tertio repetita. Nullus contubernalium odorari unquam potuit, quo tempore ille dormiret, cum Minister esset in domo Professorum: janitor certe quacunque noctis hora pro confessionum petitione ad ipsum accederet (quod pluries in eadem

dem nocte solebat) vigilem semper, ac stantem inveniebat. Quid enimvero insomnis ageret eo silentii tempore, nisi meditari, atque amare Deum, in quo meditando, atque amando diem totam insumpserat? Hunc Dei amorem ut inter homines propagaret, nihil non tentabat, quo sacrarum meditationum beneficio quamplurimi fungerentur. Quidam erat duarum filiarum Pater, qui, quo pacto illas aleret, non habebat: convenit Augustinum, a quo traditis literis ad pecuniosum hominem, tantum ab hoc obtinuit, quantum satis erat, ut in puellarum collegio filias collocaret; is idem cum deinceps ad Augustinum rediret, ab illo audivit secretissimas conscientiae suae latebras: cujus gemini beneficii mercedem sibi postulavit, atque impetravit Marquezius, ut ipse, qui acceperat, divinis commentationibus excolendum se traderet. Ad earundem exercitium hortabatur quendam alium, qui renuendi causam praetexebat datum sibi negotinm vendendi sacras vestes, quae cum perfectissimi laboris essent, ac magni aestimarentur, longo sibi tempore opus erat, ut emptorem inveniret. Ego vero, ait Augustinus, emptorem inveniam, hoc tantum pacto, si per octo dies mihi te dederis divinis rebus exercendum. Quae conditio cum placeret, utrinque praestita fides est: alter enim ad res divinas cogitandas per dies octo secessit; alter sedulo curavit, ut, collatis plurimorum symbolis, sorte decerneretur, cui essent sacrae vestes adjudicandae. Nec omittendum existimo,

sortem obtigisse Mariae Virginis Aedibus sub nomine Pietatis, quas non longe a Mexico custodiunt, adjacensque habent coenobium Sacerdotes ex Dominicana familia, primaevi ipsorum Instituti cultores. Has Aedes, pietatis ergo, frequentabat Augustinus; pro quibus pecunias ut daret sortitioni, praediviti cuidam persuaserat. Mirum erat, cum de sui similium amore loqueretur, ipsius audire facundiam, verborum efficaciam, sententiarum sublimitatem, quae quidem omnia e sacro codice, atque Ecclesiae Doctoribus hauriebat: ut quicunque adessent de hujusmodi verba facienti, continuo excitarentur ad diligendos homines, solo etiam naturae humanae vinculo sibi conjunctos. Hanc in homines charitatem pupillam oculorum Dei appellare consueverat; quam propterea pungere verbo, vel levissimo, maxime fugiebat; quantumvis in commercio cum mortalibus, ut fert humana conditio, quamplures occasiones invenerit. In extremis vitae diebus, gravi jam morbo fatigatus, litteras accepit nullo subscriptas nomine, quarum inurbanus auctor, nescio qua ductus mentis vertigine, arguebat hominem imprudentiae pro recenti decreto, quod legitima potestate ille tulerat; neque solum arguebat, verum etiam incredibili audacia hortabatur, ut se se publice revocaret. Non latuit Augustinum scribentis manus; cujus debilibus argumentis, ingenioque a communi sensu abhorrenti, num ad respondendum se accingeret, paululum dubitavit. Atqui timore correptus, ne charitatem

lae-

laederet, dum causam propugnaret; aeterno rem totam celare silentio stabilivit, illud sibi antiquissimum repetens: *Praestat certe charitatis drachmam servare, quam juris centum pondo inconsiderate defendere.*

Ingentis magnitudinis in illo erat Theologica Fidei virtus; quam Fidem ut propagaret, Deumque apud barbaras gentes notum faceret, in Novam Hispaniam navigavit, sincere quidem exoptans ad ejusmodi ministerium destinari. Non id obtinuit, neque etiam, quod in mei notitiam pervenerit, unquam ipse a Superioribus postulavit, ut ad remotarum gentium culturam mitteretur; fortasse, ne tam difficili provinciae suamet voluntate intruderet se se: de obtinendis enim honoribus, et conspicuis dignitatibus, non modo sibi nihil curabat; verum et plane intelligebant omnes, ipsum semper invitum ad talia fuisse munera elevatum. Quod autem sua non potuit opera, facere non omisit per quendam suum discipulum, qui ad eas regiones adlaborabat; ipsi mittens sacras aliquot imagines, quibus accenderetur pietas hominum, ad Christi vexilla nuper adscitorum. Ubicunque gentium immoratus est, nulli unquam sudori pepercit, id unum consecuturus, Deum cognosci, Deum amari: quod clarius profecto patuit illos inter montanos, quibus in re christiana erudiendis missum olim demonstravimus. Per eos dies ad rusticanas casulas pervenit, in longissimo tractu dispersas, quarum incolae, tametsi pacatissimi, nec ipsi viderant adhuc,

nec majorum monumentis traditum erat, illuc adventasse Christi Sacerdotem. Lingua, qua utebantur, non oppido nota, inopia etiam, soli sterilitas, ac viarum asperitas, fortasse in causa fuerat, cur in tanta miseri destitutione vixissent. Deploravit secum tacitus Augustinus eam hominum constitutionem; divina mysteria, quoad potuit, ipsos edocuit; Mexicumque reductus, nihil non movit apud humanissimum Antistitem Emmanuelem Rubium, ut duraturum solatium indigentibus praestaretur. In iis exercendis ministeriis, ne rudes homines adulta jam aetate erubescerent, elementa christiana addiscere; ipse ab Sacerdote laborum comite interrogari de rebus ejusmodi volebat; et postquam ad quaesita respondisset, aliquam sibi ex charta imaginem praemii nomine donari. Ita in Christi Fidei obsequium velut repuerascere non erubuit! Haec eximia ejus Fides enituit quammaxime in pietate erga Numen Eucharisticum. Nisi gravis impediret infirmitas, aut sacrae vestes, aliave necessaria deficerent, omnino visus non est Divinum Sacrificium omittere: quin et tempore cavebat, quae poterant iter agenti difficultates accidere. A febribus exurgens, etiam cum biduo toto nihil manducaverat, nihil biberat; ea prima convalescentis erat opera, diluculo rem sacram peragere. Saepissime visitare Jesum in Eucharistia consuevit; ac sane postremis quatuor annis, quibus Arae coeli domui praepositus est, affirmari sine mendacii suspicione potest, plus in sacrario domestico, quam in cubi-

biculo commoratum esse. Apud huncce luminum fontem, genibus semper innixus parabat se, ac longe meditabatur, quoties erat pro concione dicturus. Sacrum Sacerdotum pensum, rerumque Divinarum lectio, profundae commentationis ipsi erant exercitia; quae, dum per vires licuit, in genua provolutus obibat, nunquamque nisi a contagione corporis velut abstractus. Ab hac etiam veniebat Fide pietas illa ferventissima in coelestes incolas, et potissimum in Mariam Virginem: àd hujus Virginis amorem et pueros in scholis, et crimina confitentes in poenitentiae tribunali, et audientes in concionibus informabat. Hunc amorem ut latius propagaret, tot Marianas effigies non levibus impensis construi curavit, ac publicae venerationi collocavit. In Angelopolitano gymnasio quoties litterariis propugnationibus interesset, in pilei cava parte latentem Mariae imaginem portabat, quam oculis perpetuo fixis intuebatur. Post Numinis Parentem, praecipua colebat pietate Divum Ignatium, quem tanquam filius reverebatur ingenuus, et fiducia plenus ipsius auxilium implorabat. Ad ejus Instituti normam omnia sua facta, verba, et cogitata perfectissime aptaverat: ut nullam ex Lojolae praeceptionibus visus sit voluntarie perfregisse, sive juvenis adhuc, sive aetate jam maturus. Hinc illa vultus perpetua modestia, illa incessus gravitas, illa totius hominis compositio, per quas, tanquam per speculum, introspicere licebat, quantus in illo corpore moraretur animus, qui

tanti praeceptiones vel minimas aestimaret. Firmissimus in ea sequenda vitae constitutione, quam semel amplexatus fuerat; hortabatur olim Socium quendam Juvenem, ab ea ne deficeret, quantumvis opus esset in abjectissimo munere ministrare. Solemnia Societatis vota emissurus, a Provinciae Praeside postulavit, novum sibi dari tirocinii biennium in Tepotzotlanensi Collegio, quo compararet animum ad novi gradus perfectionem. Nec auditae sunt preces hominis, quem aequabilis sanctissimae vitae series paratum satis demonstrabat. Postrema correptus aegritudine, quoties pane coelesti cibabatur, eisdem solemnibus votis Deo se rursus consecrabat; atque in agone jam positus: O *me beatum*, exclamabat, *cui diem obire in Societate datum est!*

Assuetus meditari Deum ut infinite Potentem, ita et infinite Bonum, ac Veracem; non aliter cum illo agebat, quam cum Patre solet filius, cum amico amicus; habebatque in eo fidentiam, quae nullos noscebat terminos. Inde illa hominis ad quodcunque mortis periculum secura tranquillitas; ut illa etiam animi magnitudo ad mira, et maxima perficienda, cum Supremi Numinis gloriam versari judicasset. Omnino certus erat, nunquam sibi defuturam pecuniam, quidquid in Dei honorem aggrederetur; quod utique saepius experimento cum probasset, tum fiduciam quotidie suam roborabat, tum vero alios ad hujus virtutis exercitium efficacissimus hortabatur. Litteras accepit ab Socio

cio quodam, qui magnis se angustiis agitatum significabat; quoniam pro domo, quam aedificabat sacris Meditationibus destinatam, in magna erat nummorum difficultate. Cui rescripsit Augustinus in haec verba: *Nimirum Deo te confidere opus est, quem affatim provisurum piarum aedium constructioni, nullus dubito: quemadmodum et mihi providit hactenus, qui majorem amplitudinem Arae Coeli procuraturus, in solo coemendo duntaxat, unciales argenteos ad octodecim millia impendi; quin ipse ab homine vel obolum postularim*. Quo in genere cum toto vitae cursu complura narraverimus, paucula hic subnectere satis erit. Angelopoli Socius quidam juvenis cum tres haberet unciales argenteos, sensit se impulsu motum interno, ut eos ad Augustinum deferret, in Mariae Virginis honorem impendendos. Accessit ad hominem in illo temporis momento, cum hac omnino summa indigeret; qua scilicet pactus fuerat cum praesenti opifice pro lychno, ante Marianam Imaginem collocando. Ibidem Philosophiae Magister cum de magnifico altari, quod supra demonstravimus, cogitaret; quatuor habebat unciales argenteos, meditati operis fundamentum: ac dubitabat quidem, num hos in lignis coemendis, num in arae ipsius adumbratione consumeret? Haec secum cogitantem Sacerdos quidam externus interpellat, qui tantam ultro pecuniam obtulit, quanta satis fuit ad opus ferventer inchoandum; quod tandem ad exitum perductum fuit, quin unquam aere alieno gravis inveniretur Au-

gusti-

gustinus. In Arae Coeli domo persaepe contigit, nec obolum ipsi esse, cum praefinita veniret dies solvendis opificibus, aliisve creditoribus, qui vel materiem pro necessariis aedificationibus, vel annonam pro illorum victu, quos divinis commentationibus excolebat, suffecerant. Grandi quidem, ac nihil turbato animo incipiebat rationes supputare, tanquam inprimis pecuniosus esset; nihil adhuc conscius, quo pacto daretur, ab illo se nodo extricari; certus tamen de divino auxilio, remque optime successuram. Hisce in angustiis constitutus, saepe videbat ad se ingredientes, qui non levem pecuniae summam liberali stipis nomine sponte deferebant: quo divinitus immisso subsidio, praesenti necessitati subveniebatur percommode. Nec propterea quis credat, eum fuisse Augustinum, qui aut egenis opem laturus, aut operam quamlibet in Dei honorem aggressurus, pecunias a divitibus corrogaret. Ipsa auri, fluxorumque id generis bonorum despicientia, quam omnes in illo mirabantur, instar magnetis erat, quo tracti ad conclusum in cubiculo veniebant opulenti, atque ingentes copias offerebant. Ingenia nascuntur eo loci ad munificentiam propensissima: ut, siquando invenerint, qui cultum Divinum, qui bonum publicum intemerata fide promoveat; divitias suas profundere non recusent. Id autem, charitatis ordine male interdum intellecto. Unciales argenteos ad tria millia, dotem pro filiabus, congesserat quidam; sed repentino pietatis impulsu judicavit perpe-

ram,

ram, nullos posteritati suae securiores futuros reditus, quam si totam eam pecuniam Arae Coeli domui largiretur. Extemplo ad Augustinum volat, qui, audita hominis voluntate, docet, quid sibi debeat, quid filiabus; donumque recipere negat omnino. Quidam etiam, Borda cognomine, qui copias immensas e fodinis extraxerat, totasque in Divino cultu propagando, pauperibusque alendis, animo nimium generoso erogaverat; obaeratus non semel fuit inopinata calamitate. Hic ergo post sacras meditationes cum ex Ara Coeli egrederetur, ab eisdem recedentem vidit fortasse hominem; qui positus olim in amplissimo fortunae gradu, redactus erat tunc temporis ad rei familiaris inopiam. Et continuo secum Borda: *Quoties per hos sacros dies homo iste Deum fortasse precatus est, ut indigentiae suae opituletur? Unciales argentei mille in praesentia mihi sunt; quibus tamen, etiam centies iteratis, aere alieno me liberare non valeo: praestat igitur afflicto succurrere.* Inde servulo ad se vocato, imperat, ut illam pecuniam doni titulo ad hominem deferat; neque tamen donantis nomen aperiat. Quo facto, Borda convenit Augustinum, ac rem totam enarrat: qui sane miratus est generosam largitatem; verum probare non potuit illam sive imprudentiam, sive injustitiam etiam, nisi ab optimo excusaretur animo. Proinde pluribus docuit, quid rectus ordo charitatis exigeret; ac demum persuasit, ut nihil in posterum, nisi prius satisfecisset creditoribus, de subveniendo miseris cogi-

gitaret. In accipiendo, quidquid stipis nomine daretur, cautissimus erat Augustinus; nec penitus induci poterat, ut acciperet, nisi cum id manifesto videret utile aut bono publico, aut aliis necessitatibus, quibus aliter subveniri non poterat. E Nova Hispania soluturo non modicae nummorum summae a pecuniosis hominibus oblatae sunt; quibus, in solo alieno constituendus, indigentiam allevaret. Obstinate restitit ejusmodi donorum multitudini; et quod renueret, ita causam afferebat: *Assuescere debemus, qui pauperem Jesum sequimur, ab unius Dei providentia pendere; cumque in Coelum anhelantes peregrinemur, impedimentis libera gaudet esse religiosa paupertas*. Hanc paupertatem ut Virgo quaedam profiteretur; ex arcano illo thesauro, quem habuisse ipsum supra vidimus in Dei fiducia repositum, sumptus omnes abunde suppeditavit. Idem officium paratus erat in alteram conferre, quam intellexit inopiae causa emittere non potuisse solemnia religionis vota post tirocinii quadriennium; sed cum ille rem audiit, ac pecuniam polliceri contendit, alia jam via consultum erat indigentiae. Longus essem, ultra quod patitur constituta mihi brevitas, si tot vellem casus enumerare, quot egenis porrigebat subsidium. In hoc distribuendo, nunquam apud ipsum strepitus, nunquam incondita corrogantium turba, qualis apud eos solet esse, quorum munificentiam in pauperes fama vulgavit. Et munificum, et praedivitem fama extulerat Augustinum; cujus nimirum per manus im-

immensa fluebat pecuniarum copia; nec, unde illas extraheret, possent vulgares homines conjectura intelligere.

Ac profecto fluebant per manus haec omnia; quin illis vel minimum corde adhaeresceret: totus enim erat in paupertate colenda, quam et sponte voverat, et incredibiliter amabat. Nunquam arcam, aut scrinium clave obseratum habuit ad res suas custodiendas; quas omnes secum portare ubilibet, pene dici poterat. Eamobrem, cum transmigrare a Collegiis imperabatur; ut pro stragulis, et paucula linea veste ibidem, unde egrederetur, donata, sportulam haberet, haec erat iter agenti tota sarcina. E Veraecrucis portu in Europam profecturum donavere benefici subuculis plus sexaginta, femoralibus totidem, idque generis aliis: e quibus paucula cum sibi sumpsisset, quae materie crassiori paupertatem redolebant; in Socios indigentes caetera distribuit. Et ea, quae sibi adjudicavit, in aliena capsa, cum ipsi nulla esset, deportari precatus est. Post ejus interitum nulla prorsus inventa spolia sunt: nam ea etiam, quae, postremum emittens spiritum, in lectulo habebat, omnia fere alieni juris erant. Duo secum detulisse stragula, memoravimus; horum autem divisit unum, dimidiatum daturus indigenti. Obstupescere tanquam ad prodigium solebat, quod copiosa oblectarentur supellectili, qui voluntarie pauperes se fore promiserant: cum ea copia, suo quidem judicio, tranquillitatem animi turbaret; quam pacem inter-

nam

nam fructum paupertatis apprime jucundum appellabat. In extremo constitutus vitae periculo quamsaepissime recurrebat in haec verba: *O Deum mecum misericordem, qui nihil habeo, a quo per mortem avellar! O centies beati, si modo intelligerent religiosi homines, quanto est gaudio in hac hora, nihil omnino possidere!* Ultro pollicebatur, semet Sociis necessaria quaecunque suppeditaturum, ea duntaxat conditione, si ab iis abstinerent animum, quae religiosi pauperis non sunt. Ad totos quinque annos calceis usus est, quos eo in statu moriens reliquit, ut ad totidem duravissent: quod eo sane mirabilius, quoniam vel die, vel nocte, a calceorum usu nihil illum cessare credebatur. Postremo certe vitae anno, quod a testibus oculatis intellectum est, talis noctu cubabat, qualis interdiu comparebat. Egenus quidam Augustini cubiculum ingressus, rei familiaris inopiam lacrymabundus aperuit: ille cum aliud non haberet, nisi recens sibi donatas pias quasdam in lamina depictas imagines, eas homini continuo dedit, ut pecunia, quam ex illis divenditis compararet, suae necessitati succurreret. Miser ille forte vendendas obtulit honesto cuidam, ac diviti viro, cui cum Augustino necessitudo intercedebat; qui dignoscens imagines, ac rem totam conjiciens, emit confestim, atque Augustino restituit, enixe quidem obsecrans per amicitiae vincula, ne rursus eas alteri stipem corroganti donaret; quod ne facias, subjungit, ad me confuge, qualicunque velis pauperi subvenire.

nire. Haec autem conditio displicuit illi maxime; cum res in sua potestate perpetuo mansuras omnino recusaret, eaque propter ad amicos aperte diceret: *Nihil mihi donate, si donum apud me velitis retineri*.

Ut castimoniam in odore suavissimo, et nativa venustate servaret, horrendis macerationibus corpus afflictabat: nec enim ipsum latebat, eum esse florem, qui juxta spinas germinat. Postremis ante mortem diebus, imperavit Medicus, ut culcita uteretur, et pro medicamentorum commoditate se se vestibus exueret; de culcita vero revocavit imperium: quoniam timor ipsum, qui jusserat, occupavit, ne rueret in deterius cubans in molli, cum ad longos annos jacuisset super asseres. Maximam vitae partem semel in die, nec nisi parcissime manducabat: ac praesertim Tepotzotlanensis Ministerii tempore qualis in hoc genere fuerit, longiuscule demonstravimus. Antiquissimum etiam habuit cum iis vesci pauperibus, quos per singula sabbata Collegium illud sustentabat. Ratio autem hujus prandii, sane terribilissimi, erat ejusmodi: sedebant in solo tres mendici, quos ut plurimum testis vidi senes esse, pannosos, olidos, atque interdum morbo deformes: ante hos genua flectebant tres Socii, manu paropsidem portantes leguminibus plenam; sui mendici pedes unusquisque deosculabatur; in leguminum jure frustulum panis intingebat, quod ori mendici cum apponeret, ille dentibus, aut si iis careret, labris carpebat; bucceam

re-

reliquam Socius devorabat: quod cum iterum, ac tertio faceret, totam mendico paropsidem tradebat, atque iterato pedum osculo, demum abibat. Et hae nimirum erant Augustini deliciae, ad quas se se vegetum, atque hilarem praestabat; quin et his fungendi, ac de semet praeclare triumphandi, occasiones libentissime arripiebat. Nocturnae ipsius vigiliae ad stuporem quidem, haud ita ad imitationem provocabant. Ferrea instrumenta, quibus se crudeliter affictabat, toto fere corpori respondebant; et fuere nonnulli, qui cum ea forte conspexissent, plane inhorruerint ad gravissimum cimicum odorem, quorum ille immensos exercitus, carnem devoraturos, data opera introducebat: nec exhorruere minus ad asperum flagellum, quod manubrio tenus, innocenti sanguine infectum erat. Vir alioqui ad quodcunque discrimen impavidus, unum verebatur earum rerum aspectum, quae possent aliquo pacto, mundissimam ejus pudicitiam contaminare. In colloquiis cum foeminis, quae perraro ipsi contingebant, nec unquam, nisi animorum bono interveniente, fixis semper ad solum oculis videbatur. Praeclaram illam foeminam, cujus emortuae virtutes tantis laudibus extulisse memoravimus, omnino facie non novit; quantumvis ad annos aliquot ejus conscientiam gubernasset. In consuetudine cum hominibus, sive domestici essent, sive externi, ut verbis fuit semper honestus, ac pudibundus, ita et vultu venerabilis, ac modestus. Quidam Fidei Quaesi-

tor

tor cum plura, eaque prodigiis similia, de Augustino audivisset, hominem noscere vehementer desiderabat. Ea ductus cogitatione, consulto voluit adesse solemnibus, quibus intellexerat astituros Jesuitas omnes in Divi Andreae Collegio commorantes. Ibi Socios singulos curiose conspicatus est; a nemine tamen, quod scire volebat, interrogavit. Inde alterius domum Socium cum conveniret, haec familiariter aperuit: *Magna hodie voluptate perfusus sum, quod cunctos inter Divi Andreae Jesuitas, equidem Augustinum Marquezium, non digito mihi ostensum, internoverim: illa tranquilla gravitas, ille modestissimus vultus, illa totius hominis ad amabilem sanctimoniam compositio, alium sane non indicant, nisi quem fama mire praedicat, ac fortasse infra meritum extollit.* Magna profecto laus! Ut olim Saul inter suos corporis altitudine praestitit; ita tot inter Socios, plus animi dotibus, ac religiosa pietate, quam devexa senecta venerabiles, modestia supereminere Augustinum!

In obedientiae laude fuit certe, quales ille suos optabat, qui hanc esse voluit praecipuam in Societate virtutem. Toto vitae suae tempore a Superioris nutu pependit; quanquam saepe imperaret, quae maxime voluntatem ejus perfringerent. Ut erat vitae in obscuris officiis agendae percupidus, et se se tenebris dignum sincero credebat animo; interdum operae pretium existimabat, Superiorem monere de onere sibi, ut putabat, supra vires imposito. Cum autem nihilo secius obedire juberetur, humeros

demisse supponebat: ratus nimirum, Superioris imperium voluntatem esse Supremi Numinis, quam ut exequeretur perfectissime, nihil non tentandum arbitrabatur. Non defuere, ut conditio mortalium est, qui vel imprudentes, vel perperam intelligentes, obedientissimi hominis tolerantiam exercuerint: atque etiam tunc latentem Dei voluntatem ille silentio venerabatur. Quanquam mori optasset, qualis vixerat; in postrema tamen aegritudine, ut supra relatum est, ex imperio Medici se se vestibus exuit, atque ad dies aliquot in culcita decubuit. A Socio, quem et sibi conscientie Moderatorem, et in munere successorem elegerat, quindecim ante obitum diebus jussum illi fuit, coccolato se refici. Nullum durius Augustino imperium: continuo turbari coepit intrinsecus, tetrasque volvere cogitationes; num videlicet occasionem ipse dedisset imperio, quod palato futurum erat gratissimum? Eoque id verebatur, quoniam Socium ipsum consuluerat: Quid sibi agendum, si Sociorum adhortationibus inductus Medicus, ipsi potionem coccolati praeciperet? Atque inde timor urgebat, ne se indignum fecisset, quem Deus in mortis articulo perfectissimae charitatis beneficio afficeret; pro quo impetrando, ante plures annos ipsi Numini sancte promiserat, hanc sibi potionem perpetuo denegare. Verum his nihil obstantibus, fortiter de se ipse triumphavit, difficilemque obedientiam eximio merito exercuit. Has animi anxietates juveni cuidam Sacerdoti aperuit;

a quo

a quo cum audiisset, ea de re nihil timendum, tota illa interna procella mirabiliter sedata est. Atque ita obedientiae merito praeclarum christianae demissionis documentum adjunxit.

Vehementer errare, ajebat, qui sine animi summissionis fundamento, pietatis aedificium tentabant extollere. Nunquam auditus est in rerum mentionem incidere, quae possent in sui laudem quocunque modo vergere: idcirco Magistrum fuisse philosophiae, nullus ab ipso intellexit. Ad ipsos tres annos, quibus eam tradidit, semel in hebdomada mediastinum agebat, pluries osculabatur Sociorum pedes in triclinio, in quo publico consessu errata sua interdum accusabat. Suis ipse manibus cubiculi sordes semper everrebat. Cedere facilis erat alieno judicio; quod cum exquireret, nudum judicium volebat, nec rationibus confirmatum: ne meritum amitteret, suam alienae menti subjiciendi; tum etiam, ne sibi daretur occasio refragandi. Jurasse videbatur inimicitiam cum verbis, et officiis affectatius quaesitis; amabatque sinceram inter homines, sine fuco, et pigmentis consuetudinem. Maximopere stupebat ad sanctimoniae opinionem, quae de se inter Mexicanos praevaluerat; ridebatque effusissimus, tanquam repuerascerent illi omnes, a quibus honores sibi in eo genere praestabantur. Et quod hanc fugere opinionem totis viribus contendebat, id in causa puto, cur plura de rebus ejus internis ignoremus. Illo vita functo, sperabant profecto Socii nonnulla scripta reperire,

rite, quae documento essent insignis ejus sanctimoniae; at nec ullum omnino scriptum, nec ferrea illa macerationis instrumenta inventa sunt: quae sine dubio, aut igne, aut aliter, perire curavit postremo vitae tempore, ne bonam sui memoriam aeternarent ad posteros. Porro credebat se tum pietate, tum ingenio prorsus indignum, qui ad Societatis Professos numeraretur: eaque propter a Generali Praeposito instanter postulavit, ut sibi gradum inter eos, qui Spirituales Adjutores vocabantur, concederet; nec annuendum petitioni prudenter ille judicavit. Cum a Provinciae Praeside ad tradendam philosophiam missus est, semel et iterum accusavit se idiotam omnino, atque imperitum; quam tamen calumniam fuisse ab studio demissionis illatam, sane probavit eventus. Siquando in familiari colloquio de rebus litterariis quaestio agitaretur, nihil dubitabat asserere: se quidem tum ob assiduas infirmitates, tum ob occupationes innumeras, tum praesertim ob ingenii tenuitatem, in rudium, atque illiteratorum grege remansisse. Longe aliter de homine judicarunt, quotquot ipsum vel Magistrum tot nova proponentem, ac mirabiliter propugnantem audierunt; vel in Ara Coeli bis in die de rebus divinis tanta ingenii facilitate, ac doctrinae copia dicentem admirati sunt. Et certe in morum scientia, nemo erat ullus, qui peculiarem ipsi peritiam inficiaretur: cum tot hominum conscientias, quorum plures erant perquamarduis implicati negotiis, egregia dexteri-
tate

tate. gubernasset; totque animas a profanis illecebris, et peccati tyrannide ad Jesu Christi obsequium traduxisset. Quod ita male de semet ipse opinaretur, idcirco unum saepius iterabat votum, aliosque orabat suppliciter, ut sibi pro mortis hora et criminum veniam, et perfectum Numinis amorem impetrarent. Pro confessione quotidiana Sacerdotem adibat quemlibet, utcunque hic aetate juvenis esset: fortasse mentem secutus Joannis Jacobi, Jesuitae Baetici, pietate clarissimi; quem idem saepe fecisse ferunt, eo quidem consilio, ne crederetur pro suis animi rebus Moderatore opus esse virtutis expertissimae. At Marquezius pro suis peculiaribus arcanis habebat Socium doctrina illustrem, quo utebatur Divinae voluntatis interprete, cui etiam anteactae totius vitae cogitationes, atque opera patefecerat.

Haec eadem animi demissio, quae tantis curabat artibus virtutes alias occulere; non parum venerationis invito ipsi conciliavit. Quisquis illum sive familiariter conveniret, sive de suis intimis rebus consuleret, sive concionantem audiret; eximiam hominis sanctimoniam admirabatur. Exilio Jesuitarum Mexici promulgato, quidam Augustini aestimator, nescio quid negotii causans, obtinere potuit, ut illum ad Collegii januam sibi deferrent: cui pauca locutus, postremum vale dicens, ab incogitante rapuit e manibus pileum, domumque suam confestim evolavit, incredibiliter exultans, quod viri sancti, ut ajebat, memoriam consecutus

 esset.

esset. Profunde siluit Augustinus, non eatehus, ut latronis honori parceret: cum attriti, ac laceri pilei furtum, aut penitus laudandum, aut certe risu dignum judicaturi essent homines; obstinavit igitur ad silentium, ne de comparata sanctitatis opinione semet, si loqueretur, incusaret. Et hic est ille pileus, quo Sacerdos quidam pietate clarus, quoties post Jesuitarum exilium sacris meditationibus Mexicanos excoleret, utebatur. Attamen raptor ille, fraudes nimirum veritus, quarum exemplum ipse dederat, nunquam pileum commodabat, nisi alter pignoris nomine sibi traderet usu attritam Augustini penulam, quam infimis precibus impetraverat. Eam de homine adhuc mortali supereminentem pietatis opinionem Mexicani conceperant! Utique si spolia mortalitatis Mexici reliquisset, publicis in funere lachrimis testati fuissent indigenae, quam ille civitati universae charus erat, et quam grato animo virum ita meritum de Nova Hispania prosequerentur. Omnes profecto tum domestici, tum externi, tanquam hominem Deo dilectum inprimis illum reverebantur, atque ejus audire verba, tanquam oracula divina, consueverant. Propterea divinationis etiam dono praeditum crediderunt; quin et e portu Veraecrucis ad mediterraneas urbes nonnulla scripserunt, quae dicebantur supra naturae vires observata, quo tempore ille Nosocomium gubernabat. Et quanquam ipse pluris aestimaret contundere motus internos, quam animo a sensibus in meditatione alienari; ut plu-

pluris etiam christianae demissionis exercitia, quam vaticinationes, et miracula; tria tamen miraculis propiora, quae certis optimae fidei testibus audio confirmata, hic praetereunda non censeo. Socius quidam Sacerdos vexabatur jamdudum tertianis febribus: ad hunc in Divi Francisci Borgiae solemnibus cum Augustinus accederet: *Adsis*, inquit, *animo*, *Divinum perage sacrificium*, *utcunque sis viribus prostratis*, *atque aegritudine languens: equidem tibi polliceor*, *febrim ad te non redituram*. Obediit infirmus, imperiumque audiie febris visa est, quae non ultra ad illum accessit. In eodem Nosocomio quadam nocte ingressus Augustinus ad Socium juvenem, prorsus insomnem reperit, quod febrim proxime venturam, se diceret expectare. *Quin*, ait ille, *ad te ne veniat*, *potius imperas?* Cui aeger: *Et cujus est id imperare?* Tunc Augustinus: *Cujuslibet profecto mortalis*, *qui fidem excitare velit; cui sane fidei potestas omnis a Numine concessa*. Et infirmus: *Tu vero*, *qui et Sacerdos*, *et Superior es*, *febri praecipe*, *ne me ultra divexet*. Quod cum iterum, ac tertio precaretur, tandem ab invito imperium extorsit, Divi Francisci Borgiae interposito nomine. Abiit Augustinus, et post paucum temporis regressus, invenit juvenem in prima febris accessione; ad quem conversus: *Medice*, inquit, *fidei*, *quare dubitasti?* Et illum denuo cohortatus ad fidem adaugendam; secundo febri, ut abiret, imperavit: quae fugit quidem quamcelerrime, neque postmodum rediit, visa formidare

 tum

tum juvenis fidem, tum sanctimoniam praecipientis. Ibidem quadam altera nocte ad tertiam fere vigiliam, quod non solebat, colloquium protraxit cum Socio valetudinarii Ministro; donec iste somno se gravem cum causaretur, dormitum secessit: post duas horas Augustinus, nihil vocatus, ad illius contendit cubiculum, subita reperit apoplexi perculsum, ex ritu Ecclesiae postrema praestat remedia. Nemo non suspicatus est, hominem divinitus admonitum de Socii propinquo interitu, cui paulo ante sano penitus valedixerat. Id generis alia nihil dubito famam vulgasse; cum tamen fides historica solidiora exigat fundamenta, quam sunt incerti vulgi rumores; a longiori narratione abstinendum credidimus. Utique brevissimum dicent hoc Augustini virtutum compendium, quicunque noverunt hominem; sed temporum fit injuria, ut a quibus plura possemus accipere, ingenti maris tractu dividamur. Haec satis pro nostri operis institutione.

FRAN-

FRANCISCUS ZEVALLIUS.

ANticaria in Novohispanis, civitas est tum Mexicani cocci dives commerciis, tum aliquorum aedificiorum architectura perinsignis, tum Templo, Sacrisque Deiparae Desolatae nobilis, ac religiosissima, nec non amoenissima soli fertilitate. Decimo septimo borealis latitudinis gradu sita est in perampla valle, altissimis undique circumsepta montibus, lapidum omnis generis, et metallorum copia ditissimis. Foecunditate vero naturae maxime praestant montes illi, non minus fructibus peregrini generis, quam aromatibus, et pretiosa materia exquisitae naturae lignorum. Animantium quidem adeo mira, et prodigiosa copia est, ut monstra apud Mexicanos celebriora in illis montibus nata sint. Inter haec numeraveris Aquilam bicipitem, hoc saeculo nostro ibidem repertam, et Philippo V. Hispaniarum Regi dono missam; quam sane curiosis oculis, atque ad severam judicii trutinam, examinatam fuisse testabatur olim eruditissimus Feijovius. Foecunditas etiam humani generis ibi locorum ultra vulgarem; adeo ut passim videantur Matres, quae partus gemellos alunt. Vallis autem, Guaxachiana vulgo appellata, eadem ipsa est, quae ab Carolo V. in titulum claritudinis, ex iis Dignitatibus, quos Marchiones

nes vocamus, Ferdinando Cortesio, Mexicanae gentis debellatori, attributa fuit. Huic Anticariae nova hodie gloria, quod patria fuerit Francisci Zevallii, quem Antonia Sosa Martinezia, claro sanguine foemina, pari nobilitate viro Francisco Zevallio peperit Nonis Octobris, anno saeculi octavi decimi quarto. Quinque illa filios, filias quatuor enixa est: illi ad Sacerdotale fastigium evecti omnes; et sorores, natu minima excepta, coenobia Sanctimonialium ingressae sunt. Franciscus, qui primus marium, tenella etiam aetate totus videbatur pietatis operibus intentus. Hilari quotidie animo et ipse Rei sacrae intererat, et domesticos omnes interesse solicitus procurabat. Cum in praedio aliquando moraretur, mirum erat, quanta rusticanos industria tentaret, ut noctu ab opere cessantes, Mariam Virginem salutatione Angelica quinquagies repetita veneraturi congregarentur. Jamtunc videlicet significante Deo, qualis esset futurus Marianus cultor puer ille, quantoque charitatis ardore salutem animorum procuraturus.

Tam felicis infantiae auspiciis ad tertiumdecimum aetatis annum cum venisset, visus est Parentibus maturus, qui et pietate, et ingenio excolendus, ad patrium Divi Bartholomaei Collegium inter alumnos adscriberetur. Illico ut indole dulcissimus, et modestia singularis, ita et optimus in profectu litterario comparuit. Siquis inter condiscipulos aut verbis esset liberior, aut minus christianam vitam sectaretur, ille a Francisci consuetudine abhorrebat; cujus

uti-

utique mores Angelicos quamseverum suorum Aristarchum arbitrabatur. Etenim is erat puerulus, qui bis, terve in hebdomade, coelesti pane reficeretur, atque ultra singula Sabbata, in pervigiliis omnibus ante Mariana solemnia, voluntariae inediae maceratione corpusculum castigaret. Hinc primus ubique merito, primam sibi Magistrorum benevolentiam comparavit, primosque studiorum suorum honores consecutus est. Neque tamen in Francisco inanis illius gloriolae titillatio apparebat, quam in ea aetate nunquam fere non parturit meriti excellentia: ut facile arguerent, quotquot cum illo versabantur, hujusmodi malorum fontem, peculiari Numinis beneficio, nunquam in ejus corde generatum. Collegium illud Divi Bartholomaei ab Sacerdotibus, quos vocant Saeculares, regebatur sub Episcopi tutela; sed alumni tamen Jesuitarum scholas, puero Zevallio, frequentabant. Et nimirum hac occasione jam tunc temporis capi ille caeperat virtutum earum pulchritudine, quas in Praeceptoribus mirabatur, clarioremque obortam lucem de mundi fugiendis illecebris, libenter animo recipiebat. Verumtamen cruciabatur anceps in Sacrae Familiae, quam sectaretur, electione. Profecto si motibus animi obediret, ad Societatem Jesu desiderio vergebat; sed, quis ego sum (quae ipse tum cogitabat, simplicitate historica referimus) ut quae illi homines, altissima possim, laboriosissimaque obire ministeria? Attamen assidua intus pulsatione commotus, et occasione die-

rum

rum arrepta, quibus Alexander Romanus, Provinciae tunc Praeses, Anticariensem Sociorum domum ex munere visitabat; sua ipsi desideria, divinaque, uti credebat, vocatum se voce patefecit. Et quidem in feriis litterariis, quae proxime rhetoricae curriculum subsequuntur, noluit paternum praedium, ut sibi moris erat, rusticaturus contendere: ne videlicet, se absente, omnino pessum iret negotium feliciter institutum; eo praesertim, quod paululum renuerent Parentes, id aetatis juvenem de re tanta deliberare. Verum et ab istis, et ab Alexandro Romano veniam denique optatam potuit modestia, et lachrimis extorquere. Doloris delinimentum tenerrima voluit Mater, depictam profecturi imaginem secum remanere. Abnuisset pudibundus juvenis, nisi maternae benevolentiae suavitas reluctantem modestiam debellasset. Quocirca convenere tandem, Divos Josephum, et Ignatium, quos ille peculiari prosequebatur amore, in tabula depingi; atque ad hujus pedes provolutum Franciscum, alumni, qualis fuerat, vestitum insignibus, junctisque suppliciter manibus, haec ore proferentem: *Offero tibi cor meum*. Rebus ita dispositis, amara Parentibus illuxit dies, qua inter ipsorum luctus, et gemitus, tranquillo Franciscus vultu a paterna domo revellitur, ac tirocinium versus proficiscitur. Illuc pervenit Kalendis Junii anno saeculi vertentis vigesimo, et Societatis tironibus confestim adscriptus est. Erat tunc temporis horum Moderator Petrus Zorrilla, Doctor egregius,

gius, qui Canonicus Mexicanus cum esset, inter celebriores illius Ecclesiae, voluit Jesuitis nomen dare, nuntio remisso mundanis Dignitatibus. Is quanquam indole austera, non potuit recens commissum sibi tironem peculiari benevolentia non prosequi; quem nimirum ornatum illico agnovit morum innocentia, naturae suavitate, sincero animi candore: quae dotes facile credi poterant aeternum duraturae. Ille profecto jam ex eo tempore caeteros inter digito notabatur; utpote in quo eminebant intima cum supremo Numine consuetudo, pietas in Jesum Christum sub Ara absconditum, Mariae Virginis veneratio, modesta animi demissio, austerae in semet severitatis efficacissimum studium, humana, et comis erga mortales omnes charitas. Hae sane virtutes fuerunt, quibus maxime Franciscus devenit postmodum vir usquequaque perfectus; neque facili negotio dignoveris, quae fuerit inter caeteras praecipua. Id enim vero certum, illas omnes in ejus animo tirocinii biennio germinasse.

Hoc exacto, cum tria de more vota ferventissimus emisisset, Mexicum illico ad Divi Andreae Collegium contendit pro studiis humanioribus, inde Angelopolim ad Divi Ildephonsi pro philosophicis. Utrobique primus honoribus fuit, quin propterea ab ingenita modestia, et animi fervore vel minimum defecisset. Confecto philosophiae curriculo, grammatices Praeceptor ibi gentium renuntiatus est, ac post annum translatus in patriam, qui munus idem

exer-

exercerer. Atque hic profecto, tanquam in alieno solo versaretur, nec novisset ullum, nec ulli notus èsset; ita obscuram cubiculi solitudinem custodiebat; nec, nisi sui muneris causa, domo pedem efferebat; nec etiam Matrem, Sorores, amicos, aetate suppares adibat, nisi aut Superioris imperio compelleretur, aut interdum urbanitas postularet. Ita cum Mexicum remeasset, Theologiae vacaturus, asseruit omnino ejus Mater: Vix sese noscere, filium esse absentem, qui ad annum totum in patria cum egisset, perquamraro ad maternas aedes accesserat. Ad integrum quadriennium, ut moris erat, Divinam scientiam persecutus est: quo sane tempore quidquid honorum unquam dispensabatur pro meriti eminentia, totum id Francisco tributum fuit, qui et in Sacro Codice publica disputatione exponendo, et in thesibus ad diem integrum propugnandis, in quibus mane fuit Theologus, vespere Juris Canonici peritus; mira tum doctrinae laude, tum latini sermonis elegantia comparuit. Factus jam Sacerdos, tertio probandus mittitur Angelopolim in Sancti Spiritus Collegium. Et hic novo constitutus in theatro, novam egit personam; egregiasque illas virtutes, quas hactenus uni sibi acquisisse videbatur, jam tunc caepit cum aliorum fructu, atque utilitate conjungere. Ministerio Verbi Dei annuntiandi vacabat, quod inibi Socii solebant, per compita, per plateas, in Templis, ubi ubi dicere a Superiore imperaretur. Diu, noctuque dandis pro confessione auribus prom-

promptus erat, sive domi, sive foris vocatus, et praesertim in omnium putidissimo Nosocomio, quod Sancti Petri vulgo nuncupabant. Quae sane ministeria quanquam omnibus erant communia; Franciscus tamen, ut mirabili erat suavitate, quam vultu etiam subridenti praeseferebat, faciliorem daturus aditum convenientibus videbatur. Quod certe palam omnes conspicati sunt, cum ad Legionenses in Taraschis jussus est immigrare; ut in recens ibi erecto Sociorum Collegio pergratum virtutum suarum odorem conspergeret, novamque Domino messem fervidus colligeret Operarius. Incredibile dictu est, quantum in illa vinea, nunquam ab labore sponte desinens, insudaverit, sive rem Christianam e suggestu edocens, sive aures ministrans faciles, crimina volentibus aperire. Olidis perpetuo circumdatus hominibus, qui, audita suavissimi hominis fama, procul etiam venientes, ad illum accedebant peccata confessuri; nullum non benigne admisit, nullum unquam amaris verbis, aut aspero supercilio a sacro Tribunali rejecit: ut mirum mihi non sit, ab indocto quodam rustico (quod ipse postea effuse ridens narrabat) *Divinitatis* nomine, ut quondam Paulus, et Barnabas, fuisse salutatum.

Biennium fere in hoc salutari, et laborioso ministerio libenter transegerat, cum Provinciae Praesidis decreto Mexicum revocatur, philosophiam publice traditurus. Tam egregius doctrina, quam virtutibus clarus, aeque humanam scientiam, et pietatem externos pueros curae

suae commissos edocebat: quos nimirum et conatu maximo in litteris erudiebat, et quotidiana de sacris rebus lectione, et perblandis monitis, et, quod efficacius movere solet, exemplo, ad coelestium amorem provocabat. Id enimvero Francisco fuit ingenti laudi, quod hoc eodem tempore, anno scilicet saeculi currentis trigesimo septimo, cum gravissima pestilentia Mexici grassaretur; vix ille ab scholae defatigatione cessaverat, ad charitatis opera festinabat. Christi simulacro instructus, domo egrediebatur, ut lue correptis pacem, ac veniam, clementis Dei nomine, quem secum gestabat, impertiretur; et nihil sibi veritus a perquam facili contagionis periculo, etiam non vocatus aegrotos adibat, siquis forte vellet pro conscientia expianda Sacerdotem. Ab his operibus multa jam nocte redire solitus; quod causa charitatis a diurna in libris defatigatione abstulerat, recuperabat saltem ex parte, protractis lucubrationibus. Nihilo tamen secius, mane surgere omnino promptus erat diluculo; quae nimirum hora praefinita Sociis erat, ut coelestium meditationi vacarent. Tres totos annos philosophiae Magister, inde per menses aliquot conscientiis alumnorum ad Divi Ildephonsi Collegium Praefectus, et sapientis Magistri nomen, et praefervidi Sacerdotis meruerat. Major tamen, quam ubivis hactenus, visus est, cum Theologiae Magister, et puerorum insimul Moderator pro Queretarensi Divi Xaverii Seminario constituitur. Hoc Seminarium ea proventuum tenuitate acce-

cepit, ut pro diarii expensis quo se verteret, nesciret interdum. Brevi tamen angustias devicit, et copiosam ubertatem substituit indefessa Rectoris diligentia; Divo Josepho inprimis, ut credebatur, opitulante, cui Seminarii gubernationem solemnibus votis commendaverat. Pari quidem solicitudine tum profectui litterario, tum christianae alumnorum educationi invigilabat; serio secum cogitans, eo se in munere a Supremo Patrefamilias constitutum, ut erudiret, formaretque futuram aliquando Rempublicam. Primis post annum scholasticum feriis blande alumnis persuasit, ut ad sacras meditationes per totos dies octo libenter convenirent: ipse illos edocuit fructuosam rationem Deum precandi; et peccati turpitudinem, iras offensi Numinis, aeternam eorum calamitatem, quos gravis cujusque sceleris conscios mors occupat, aliaque id genus divina, ferventissimis verbis e suggestu annuntiavit. Eo magis erant efficacia Francisci monita, quanto vitae illibatissimae exemplis magis roborata. Die, noctuque conspicabantur illum assidue transeuntem sacellum versus, ibique diu, ac reverenter pronum ante aram Eucharisticam perseverare; a quo loco cum exiret, pene a sensibus ereptus quandoque videbatur. Conspexere hominem quodam die, ore, atque oculis in solum directis, cogitabundum e sacello divertere, ac nudo capite, nec alia, quam domestica, indutum veste, scalam descendere, domoque abire tacitum, atque incomitatum. Id cum animadvertisset alumnus quidam

aetate, ac judicio prae caeteris maturior, post passus aliquot illum assecutus est; atque ejus lateri admotus, neque dum visus, elata demum voce, quo iret? interrogavit. Ad haec sibi redditus, tanquam e somno Franciscus, vicissim, et cum ingenti stupore percontatur: Ubinam ergo sumus? Extat adhuc homo gravis, et prudens, Josephus Pereda, multis Mexici nominibus cognitus, in forensibus causis maxima cum laude versatus, qui cum Didaco Abbadio, clarissimo a multiplici doctrina Socio, collocutus olim, haec aperte testatus est: *Puer ego in Queretarensi Seminario, post Mariae Virginis preces nocturno tempore in domestico Sacrario solutas, vidi Rectorem Franciscum flexis genibus, omnino a sensibus abalienatum: quin ad alumnorum omnium, qui curiosi circumstabant, mussitationem primum, dein etiam elatas admirationis voces, ab stupore mentis dulcissimo excitaretur; donec ingenti emisso suspirio, inopinato surrexit.* Idem luculentus testis, quem singulariter ob eximias dotes diligebat, et quo utebatur contubernali Franciscus, haec etiam affirmabat: *Cum miratus essem, quod ad multam noctem solitus ille fuisset cubitum redire; puerili tandem curiositate investigare decrevi, quid illis horis ageret pius homo, aut ubinam moraretur? Igitur post dimidiam jam noctem cubiculo exivi, hominem quaesivi; quem ad Sacrarum Aedium fores genibus flexum cum invenissem, longo illum tempore intentus consideravi, nec ab ipso conspectus.* Nihil tamen assidua haec animi abalienatio reddebat

bat

bat Franciscum aut minus vultu tranquillum, aut minus cum suis alumnis humanum, et comem. Cum tota ejus gubernandi ratio in suavitate, atque amore versaretur; mirum profecto non est, quod amorem amore pueri retribuerent. Non illi punitiones, non minas, non aspera verba, non etiam (quod fortasse magis timuissent) severum, et trucem Rectoris conspectum verebantur: perlongo freti experimento, se suaviter admoneri, cum errarent; laudibus extolli, et muneribus allici, cum et studio, et pietati incumberent. Atque ita demum consecutus est, ut in tutela suavitatis, proni ad pietatem, exculti litteris, adoleverint; id vel maxime timentes, ne Moderatori humanissimo displicerent. Haec utinam caperent, qui nisi sanguine, et vexatione, nunquam optime pueros educandos, perperam crediderunt! Fuit ex alumnis quidam, qui tanto illum et amore, et veneratione prosequebatur, ut prandii tempore furtim per fenestram pictorem admoverit, expressamque Rectoris imaginem, maximis grati animi, et venerationis indiciis adservaverit. Siquis in morbum, etiam levem, incideret, materna Francisci viscera continuo experiebatur: nam et sedulo ipse accurrebat; et, nulla facta mora, Medicum acciri imperabat; et curae sibi erat, quaecunque hic jussisset, executioni mandari; et diu, noctuque ad aegrotum solicitus accedebat. Neque vero quod tanta diligentia puerorum institutioni invigilaret, caeteris urbis incolis inservire omittebat: nam hoc ipso tem-

pore detergendis confessione animis in Templo erat indefessus; et sive diurno, sive nocturno tempore ad aegrotum vocaretur, festine properabat. Ad haec, ut erat eloquens, robusta, fervidaque oratione, ubique invitatus, ministerio Verbi intendebat, tum in Sociorum, tum in Sanctimonialium Templo, tum etiam in puellarum Sanctae Rosae magnifico gynaeceo: quas puellas per dies aliquot a mundanis curis abductas, divinis meditationibus excolebat. Cum carcere detentis pia ultro colloquia serebat, quos doctrinae christianae praeceptis imbuebat, Sacramentali poenitentia detergebat, et quoties aliquis capitis damnaretur a Judice, tres ipsos dies morituro intererat: ut omnibus instar portenti esset, tot tamque variis operibus unum hominem suffecisse.

Tantis oneratus laboribus cum quinque ferme annos transegisset, Theologiae Praeceptor Mexici renuntiatur. Quo in munere per annos quindecim consequentes exercito, nullus ibi fuit, qui non viderit, quantum Sociis juvenibus, qui Theologiae dabant operam, et pietate, et doctrina praeluxerit. Et certe quam de immaculato, ac sapiente Magistro fama praetulerat opinionem, eamdem ratam habuerunt omnes, vix ille commissam provinciam exorsus est. Magni semper aestimata fuere, quaecunque in ludo cursim dictabat. Cum in litteraria palaestra propugnantes impetebat ex munere, syllogismis utebatur, quales Isaei jactat Plinius; crebris nimirum, circumscriptis, arte perfectis.

Ve-

Verum iisdem manibus, quibus et sacras Orationes, et disputationes Theologicas exarabat; lances, et vasa coquinaria quandoque purgare in delitiis habuit: quae vilia ministeria subibat alacer, ne in tanto et domi, et foris plausu, ac veneratione, christiana humilitas, et modestia evanescerent. Attamen firmiora intrinsecus apponebat praesidia, qualia erant perpetua sensuum custodia, vix unquam intermissae ad Numen preces, et fervidissima coelestium rerum contemplatio; quam profecto crediderim, si vellet etiam, interrumpere ferme non potuisse. Quoties enim transiret a Sacris Aedibus parum remotus; tanquam suimet impos, fortiter allectus, atque occulta magnetis vi tractus, ad locum accedebat, ubi amorem suum, suas delitias, Deum suum absconditum salutaret. Tantae contemplationis, modestiae, ac doctrinae vir, ubique pro confessionibus expetebatur, et a Sanctimonialibus frequenter, et ab omni foeminarum ordine, pauperum juxta, atque opulentarum, et a Sociis, et ab aliis quamplurimis; quos inter clarissimus Doctor Emmanuel Roxius, primum in Collegio almae Ecclesiae Mexicanae Sacerdotio insignis, deinde Archiepiscopatu Manilensi auctus, totum se Francisci prudentiae dederat gubernandum. Per idem tempus, recens erecti ad Sanctum Ildephonsum Sodalitii Sacrorum Cordium Jesu, et Mariae, Franciscus Praefectus creatus est primus; nec multo post ad eos adlectus, quos Provinciae Praeses in officii negotiis consulebat: quae quidem tria

 mu-

munera Magistri, Praefecti, et Viri a Consiliis, diligentissime adimplevit. Interea vero gravis illum coquebat cura, quod paulatim remittente vi luminis, oculorum aciem propemodum amittebat. Ergo multa, et ferventi precatione cum Numinis explorasset voluntatem, Superiorem convenire fidenter constituit, suppliciterque obtestari, ut se tandem a Magisterio removeret, cujus oneri, ob grave oculorum malum, imparem se arbitrabatur. Aliter Superiori visum est; et Franciscus nihil ad negantis vocem commotus, atque insuper auctus obedientiae merito, a sudore litterario non destitit; donec anno ultra millesimum septingentesimum quinquagesimo septimo, Generali Societatis Praeposito imperante, Mexicani Collegii Sancti Andreae Moderator communi Sociorum plausu inauguratur.

Qualem tot annis in obediendo se praestiterat, talis in gubernando duravit, mansuetus ad loquendum, fervidus ad orandum, assiduus ad Societatis ministeria etiam viliora, modestus in gestu, demissus ad sui laudes, prudens ad aliorum incogitantiam. Illam enimvero virtutem superaddidit, quod ingenita ipsi a natura comitas nihil impedivit, quominus religiosam disciplinam alacriter custodiret. Caeterum ad octo vix menses licuit Sociis, tam dulci gubernationi subesse: nam intra eumdem annum postridie Kalendas Novembres Franciscus datus est comes Josepho Redonae, qui in Provincialibus Comitiis tunc habitis dictus est negotiorum ad

au-

aulas, Romanam, et Matritensem Procurator. Atque hic mirabile philosophiae coelestis exemplum Franciscus edidit. Adhuc in mortalibus erat ejus Mater, aetate quidem gravis, et filii amantissima, quem tot jam annis conspicari, atque amplecti frustra suspiraverat. Augustinus Carta, Provinciae tunc Moderator, sincera Vir indole, ac prudentia suavissima, liberum fecit Francisco, verbisque propemodum suasit, ut, quandoquidem Veramcrucem necessario contenderet; in patriam, non nimis deviam, paulisper diverteret, ut Matri, sororibus, et fratribus valediceret. Nihil videbatur honestius, nihil ab omni vel umbra periculi remotius: cum praesertim verendum esset (quod accidit) hac non arrepta occasione, nunquam se rursus visurum senescentem jam Matrem. Ille tamen maluit cum Xaverio verum se Christi discipulum praebere, tamque honesta voluptate non perfrui, quam perniciem exemplo suo fortasse aliquibus inferre, qui nimium suos amant propinquos, quanquam illos experti fuerint Divino reluctantes imperio. Ea propter via tendens recta Veramcrucem, ut primum vectoriam navim offendit, solvit anchoras, immensum permetitur Oceanum, ad Hispana Gadium littora transducitur. Inde Romam terrestri itinere contendens, incredibile dictu est, quanta et pericula subierit, et incommoda devoraverit lusciosus homo, valetudine modica, defatigatione consumptus. Et mirabatur quidem Redona imperturbatam ad subita quaelibet Francisci serenita-

tem, et piam illam anxietatem, qua, vix diversorium attigerant, ad quaeritandum Jesum Eucharisticum continuo avolabat; quin aut pluvia decidens, aut viae lutulentae, aut praeruptae interdum devexitates obstarent, quominus, quem unice amabat, diligenter perquireret. Romam cum devenisset, urbem illam principem, cui facile omnes Regum Aulae, sinminus de splendore, de sacris certe monumentis concedunt; insolita quadam laetitia, et voluptate perfusus est; ac magnifica illa Templa, et veneranda loca, quae Christi Athletae conspersere sanguine, religiosissime percursavit. Ibi cum aliquandiu moraretur negotiorum Provinciae causa; ut haec intra paucos menses confecit, longinquam denuo peregrinationem instituit. Inde ad Hispanos manu Sociorum facta, quos Mexicum ab Europa, uti moris erat, deferret; e portu demum Gaditano solvit, ingenti profecto navis, in qua vehebatur, utilitate: siquidem idoneam ibi ratus occasionem in animorum salute adlaborandi, ad nauticam turbam, vectoresque sacra verba faciebat, praeceptis Christianis erudiebat, ultroque oblato Poenitentiae Sacramento, ad eluendas animi sordes alliciebat suavissimus. In familiari etiam consuetudiue de coelestium rerum amore, de fluxa mundi gloria, de peccati turpidine frequenter, atque industrie sermones immiscebat. Accidit quodam die, cum ejusmodi colloquium, multis circumsistentibus, instituisset, ut male quidam suspicatus in se unum illa verba prola-

ta,

ta, superbus nimium efferbuerit, minacique ore in Franciscum iras profuderit. Ille, qua erat mansuetudine animi, plane testatus est: cum in vitium dixisset, non hunc, non illum vitio affectum in mente unquam habuisse; attamen paratum se omnino, siquid hominem offendisset, poenam imprudentiae luere, veniamque propalam deprecari. Quod satis quidem fuit, non ut offensi duntaxat iras restingueret, sed ut singularem Francisci modestiam egregiis postmodum laudibus ipse praedicaret; ac sui doloris voces cum caeterorum omnium moestitia conjungeret, cum paucis post diebus *Pater Sanctus* (id nominis inter nautas praevaluit) ex ea navi in Praetoriam translatus est. Ratio autem translationis fuit ejusmodi: Joachimus Monserratus, Marchio Cruillensis, Imperii Mexicani renuntiatus Praetor, in illa Praetoria Mexicum ferebatur. Is cum Jesuitas aliquot secum ducere praeoptasset, nec suam aperuisset voluntatem, priusquam Gadibus solvissent; vix aquaturas naves ad Portuditem, vulgo *Porto Rico*, applicuerunt, temperare sibi ultra non potuit, quin, saltem duos ad se transferri Socios, palam postularet. Illico Superioris jussu ad Praetoriam Franciscus immigrat; cujus utique pietatem, religionem, mansuetudinem cum e propinquo perpenderet Monserratus, ipsum conscientiae Rectorem sibi voluit, ac totis quinque Praeturae annis nunquam a tanti hominis consilio declinavit. Eodem ipsum honore prosecuta est Praetoris uxor, Maria Josepha Acunna,

na, pari, ac vir, tum sanguine, tum religione foemina. Neque tamen quod ad Primarios accederet, idcirco erubuit suam vili populo ministrare operam, aut ad illum de rebus Divinis colloqui, aut peccata confiteri volentibus aures praebere: ut toto reliquae navigationis tempore Franciscus esset omnibus Consiliarius, Custos Angelus, conscientiarum Moderator.

Ita demum cum, tertio peregrinationis anno nondum expleto, Mexicum remeasset, tribusque ad Divi Andreae Collegium mensibus negotia exacti muneris perfecisset; ad Professorum domum a Superioribus vocatur, tum Operarius, tum etiam destinatus, qui Sociis fovendis, ac juvandis in pietatis rebus incumberet, vulgari nomine *Praefecti Spiritus*: qua nimirum in domo vicinior esset piissimo Praetori, cui et frequens erat Sacrae Poenitentiae usus, et omnino nullum sine sapienti Moderatore consilium. Et ille tanquam minister hactenus fuisset inutilis, ac frustra tot annorum operam collocasset; quidquid otii supererat ab religiosis officiis, totum in alienae salutis procuratione insumebat, sive e suggestu Orator, sive in familiaribus Christianae institutionis Doctor, sive in sacro Tribunali Judex, Medicus, Consiliarius. Id aetatis, et modicae valetudinis homo, diu, noctuque pedes ibat, quocunque a Superioribus mitteretur, aegrotos pro criminum confessione auditurus; quin aut pluvia, aut Solis ardor, aut loca longinqua, interdum ad duo milliaria, virum auctoritate venerabilem absterrerent. Nec

id

id semel, aut bis tantummodo in hebdomada: ingentem enim messem perpauci Operarii colligebant. Duodecim homines plus minus erant, qui et tam laboriosae provinciae intendebant, et caeteros Ministerio Verbi dantes operam adjuvabant. Et ea quidem opera, quae toto vertente anni tempore non cessabant; in feriis esurialibus ita adaugebantur, ut credi vix possit, quomodo mortali carne graves tam immani labori sufficerent. Quinquies in hebdomade ad domesticas Aedes Dei verbum audiebatur; quinimo diebus aliquot, mane, vespere, ac tertio post lucem. Nec propterea omittebant, in alienis Aedibus, et per compita concionari. Laetabatur vehementer Franciscus, quod et messis albesceret, et ipse in sudore vultus ad metendum destinaretur: ut certe nullus esset vel aetate viridi, vel robusta valetudine, qui laetiori animo in ea ingenti defatigatione versaretur. Ad haec, cernebatur quotidie, sero jam facto, in culinam descendere, ibique ad vilem, et egentem turbam de Christianae Fidei rudimentis verba facere, mira de Beata Virgine narrare, cum ipso populo vicissim respondente piaculares globos percurrere, unumquemque benigne alloqui, atque ad honestam vitae consuetudinem invitare: quod sane agere cum pauperibus, et abjectis, fuerat illi semper in delitiis. Ultro etiam se se obtulit Socio Carcerum Praefecto, atque enixe precatus est, ut se comitem ire permitteret, quoties conclave illud horridum, calamitatis, et miseriae locum, ipse pro mu-

muneris necessitate contenderet. Interea vir ille summus ad annum devenerat aetatis quinquagesimum, et fere octavum, decimioctavi saeculi sexagesimum secundum, quo anno insaeviit nova Mexici pestilentia. Franciscus, ut Socii omnes in illa domo Operarii, permagna hominum turba comitatus egrediebatur, qui praeibant ad lue correptos: nec pervenire poterat ad eam urbis regionem, quam primam fecerat itineris metam, quin per viam ad aliorum auxilium suppliciter vocaretur. Ita cum nec prandendo ferme, nec somno reficiendis viribus locus esset; diu, noctuque moribundis propinquus contagionem tandem et ipse traxit, eo quidem graviter, ut postremis afflictatus angoribus, ac prope acturus animam crederetur. Attamen servatus nobis fuit miserentis Dei beneficio, qui tanti meriti viro Supremum Provinciae Magistratum pro triennio proximo destinarat.

Nihil tale verebatur Franciscus, qui Romae cum moraretur, imbecillem se causans tum animo, tum corpore, clam obtinuerat promissum a Generali Societatis Praeposito, nunquam se posthac ad gubernandi munus promovendum, quidquid judicarent aliter Mexicani Socii. Quod sane promissum vehementibus precibus extortum, litteris insuper Genuam ad ipsum missis, idem Supremus Rector iterum confirmavit. Qua ratione susceptum ille consilium revocaverit, facilis est conjectura. Id certum: sexagesimo tertio saeculi vertentis anno, ingenti Sociorum omnium laetitia Franciscum Provinciae

Prae-

Praesidem declaratum. Inde amicis, et domesticis ipsum convenientibus, de munere novo gratulaturis, haec ab illo audita sunt, plena demissionis, atque intimo sensu prolata verba: *Equidem timeo, commilitones mei, quod homo, nullo dignus nomine, ad vestri gubernationem sim evectus, certum esse indicium irati nobiscum Numinis, poenasque fortasse a Mexicana Provincia repetituri*. Nullus ibi fuit, qui non crederet, id sincera demissione pronuntiare hominem, quem amarus dolor vexabat intrinsecus, quod se indignum, qui antecelleret imperio, arbitraretur. Quanto tamen publicae rei bono futurum id esset, facile omnes praesagiebant. Erat Franciscus indole suavissima, in omnes officiosus, humano natus commercio, quem intima consuetudine Socii noverant, quicum fidenter partiebantur animi curas, et secretiora conscientiae arcana, quem plane intelligebant, nec temere, nec cum supercilio imperaturum: vir denique sapiens inter primos, edoctus longo rerum usu, societatis amantissimus, qui vere justus Deum timebat, atque ad omnem criminis vel umbram expavescebat. Quidquid poterat in subditorum erroribus connivere, quin religiosam disciplinam offenderet, genio libenter indulgebat. Siquid autem dicendum existimaret, quod ullo pacto molestum alteri futurum odoraretur, equidem testis ipse sum, roganti, nec praecipienti similem loqui. Si quando eos, qui deliquerant, sanare blandis monitis nequicquam tentasset, perantiquum habuit, precibus, et lacti-

crimis Jesum in Eucharistia consulere; atque ut ibi semel credidit opportunum, severiorem induere vultum non omisit. Nemo propterea ullus erat, qui, unde quereretur, illo corrigente, vel arduum quidquam imperante, merito inveniret: notum enim omnibus haud dubie, siquid unquam tale accideret; ab Eucharistico Numine, quod animo fluctuans ille precatus fuerat, consilium descendere. In conscribendis litteris, pro munere frequentissimis, praecisus erat, atque efficax; quae litterae sive laeta, sive tristia nuntiarent, gravibus erant semper verbis, naturalique, nec fucata majestate compositae; idque homini peculiare, quod scripto magis, quam verbo, ipsius objurgatio timebatur. Cum olim ad compescendam dubiam cujusdam indolem, paterna monita parum profecissent, publice legendam reprehensionem mandavit, eo verborum pondere conceptam, ut audientes oppido contremuerint, et quidam inopinato perculsus horrore, sine arbitrio de loco surrexerit. Moris erat Provinciam eam immensam bis in triennio a summo Praeside visitari. Nec recusavit Franciscus longaevus jam, visuque propemodum amisso, et languentibus viribus, milliariorum ad sex millia iter conficere: nec toto eo tempore, vel flumina occurrerent, vel torrentes viam impedirent, vel pluvia ingrueret, vel Sirii ardores aestum duplicarent, tantorum taedio laborum ex ore pii Senis vel levissima lamentatio prodivit. Mire amabat, et perfecte callebat susceptum sibi a teneris annis Institutum;

cui

cui adamussim intelligendo, assiduus navarat operam. Proinde ad eos in unoquoque Collegio Socios, qui a Consiliis erant Rectori, singillatim conscripsit: *Meminissent, ex Societatis Instituto teneri se, siquid gravius in ea domo, quam incolerent, accidisset, Provinciae Praesidem monere*. Hoc eodem amore ductus, dolebat maxime, Societatem aviditatis crimine incusari. Quapropter libellum supplicem Excellentissimo Praetori obtulit Societatis nomine, in quo vehementer deprecabatur, immunem eam esse juberet a ministeriis apud Californios, aliosque remotos indigenas, qui Fidei jugum subierant, atque in tranquilla obedientia Hispanam potestatem reverebantur. Non defuturos, ajebat, vel ex sacris Deo familiis Apostolicos homines, vel Sacerdotes alios, qui ejusmodi animorum curam et libenter acciperent, et fideliter obirent. Interea vero suos Regi exhibebat subditos, qui remotiores gentes in Christi verbo debellarent; si dignos eos crederet, quorum opera uteretur. Scriptus erat libellus ea judicii maturitate, verborumque efficacia, ut vir in causis forensibus apprime clarus, cui praelegendum Franciscus dederat, sapientiam auctoris extollens laudibus, de successu sperandum optimo praesagierit. Atque ea quidem inprimis memoranda dicebat Zevallius: *Equidem polliceor, Excellentissime Princeps, ut nos ab hoc onere solvendos Regia judicarit clementia, nulla supellectili onustos profecturos inde Socios omnes, qui unam Jesu e cruce pendentis imaginem, et precum*
Sa-

Sacerdotalium codicem secum asportabunt. Praetor de re mature deliberandum censuit, Regium Mexici Senatum consuluit; Pontifices, et Praefectos, quorum ditioni suberant abdicata Ministeria, quid illis videretur, interrogavit; ac tandem ad Supremum Regis Consilium in Hispania veteri rem integram deferendam arbitratus est. Ab hoc Regio Consilio responsum expectabatur. Ad internoscenda Subditorum ingenia, et cui quisque muneri praeficiendus esset, singulari fuit prudentia Franciscus. Ita et Augustinum Marquezium, hominem quidem in Christianis rebus tractandis, et promovendis unicum, ingenti Mexicanorum utilitate domui praeposuit, quam *Exercitiorum* vocabant; et Xaverium Alegrium (qui abhinc bimestri Bononiae vita functus, doctrinae laudem in utroque Orbe meruit) ex oppido remoto vocavit, atque in urbe principe collocavit. Nimirum litterariam rem ex Instituto promovere, quantum suffecissent vires, animus erat Sapienti Moderatori: proinde translato Mexicum Alegrio munus imposuit duplex, ut et Mexicanam rem Jesuiticam posteritati mandaret historicus; et Academiam regeret pro litteris humanioribus: quae quidem Academia cum instituta olim fuisset Alumnorum bono, qui ad Divi Ildephonsi Seminarium, post alia exacta scientiarum curricula, proni in has litteras ferebantur; incertum omnino, qua temporum injuria intercidisset. Vallisoleti Philosophiae Magistrum Xaverium Clavigerum (cui fere jam biennio e vivis abla-

ablato lacrimas dedimus nos, ut meritos honores litterati quamplures Itali) vehementer hortatus est Moderator Zevallius, ut in tradenda philosophia, praesentem Sapientis Europae consuetudinem magnifaceret. Quanto Mexicanorum bono facta sint ea omnia, illustre testimonium est, tot nunc florere in Nova Hispania Sapientes ex Alegrii, et Clavigeri schola progenitos. Tentavit etiam, graecae linguae adjumento, et mathematicis cognitionibus Novohispanos excoli: quae nimirum et sua natura inserviunt ad mentem perficiendam, et pulcherrime litteratum exornant. Quod suum consilium ut executioni aliquando mandaretur, per litteras egerat cum Supremo Societatis Moderatore. Ac destinarat jam Angelopolim ad Divi Ildephonsi Collegium pro graecae lingue schola; Mexicum ad Sanctorum Petri, et Pauli pro theatro Mathematico. Utinam et tam recte cogitanti feliciora tempora favissent!

Post triennium, Provinciae regimine deposito, rursus ad Divi Andreae Collegium mittitur Gubernator. Atque ut olim renuntiatus, triennium non implevit, novo auctus munere, Matritum, et Romam petiturus; ita nunc denuo dictus, post annum ab solo hispano cum Sociis omnibus extorris, Italiam contendere jubetur. Tertio post die ad Veraecrucis portum iter instituit; ubi paulo ultra tres menses commoratus, mari tandem se commisit duodecimo Kalendas Novembres. Ad dies centum triginta duos maris incola navim tenuit: quo diuturno

tempore turbam nauticam christianis mysteriis, et legibus erudiebat de more; atque a Missae Sacrificio, quantum licuit, non abstinuit. Plures in navi vehebantur Sacerdotes, quibus nec tempus, nec commoditas erat, si rem sacram facere omnes voluissent. Id autem praemeditatus, ornamenta sacra suis ille sumptibus comparaverat; ut, vix ab altari recederet Sacerdos, promptus inveniretur, qui succederet; atque ita pluribus esset locus, Divinam Hostiam oblaturis. Increvit haec Missam peragendi difficultas, cum ad Mnestei portum ventum est; ubi hominum ad quatercenta capita, eoque fortasse amplius, in eodem diversorio collocata sunt. Ita, ne multitudine sacrificare volentium, ab altari prohiberetur, vigilem Socium precatus fuerat Franciscus, qui quotidie summo mane, cunctis adhuc sopori deditis, expergefacere se veniret; ut, cum caeteri de somno consurgerent, ille jam ad aras fecisset. Quidquid matutini supererat temporis, in sacrario immotus intererat deinceps venientibus, qui rem Divinam peragerent. Ad haec, totam fere noctem ducebat insomnem, anxietate solicitus, ne fortasse obdormiret ille, cui se excitatum veniendi curam commiserat. Magna etiam ex parte pomeridianas horas in Sacello insumebat, genibus innixus ante Numen Eucharisticum. Prima noctis vigilia, diversorii famulos comiter invitabat, ut in eodem Sacello consuetis precationibus, ipso praeeunte, Reginam Virginum salutarent. In ea pietatis opera tres totos menses parti-

titus diem erat, cum navim denuo conscendere quarto Idus Junias imperatur; indicto tamen Sociis, ne rem Sacram in navigando facerent. Obmutuit Zevallius ad inopinatum fulmen; et toto mense ab illa caelesti voluptate remotus, ultro superaddidit, inedia incredibili corpus debile macerare. Navibus Adjacio primum applicitis, inde Fano Florentii, post casus, et aerumnas, quas taedio esset referre, Bastiam tandem, Corsicae urbem non ignobilem, agitati exules devenere Nonis Augusti. Ut primum e navi pedem efferebant Socii, ad propinquum Divi Joannis Templum ducebantur; ubi ab Rege Hispano Minister pro sex, octove ipsorum manipulo schedulam distribuebat, qua tanquam tessera hospitali muniti, destinatum sibi diversorium conquirerent. Suam accepit Franciscus, neque vero designatum quaesivit hospitium, quin prius, quanquam multo jam mane, ad aras faceret, longiusculusque cum Eucharistico Numine colloquia protraheret: Ab hac etiam urbe post mensem circiter depulsus cum Sociis omnibus, Gallorum Rege jubente, cui suberat illa pars insulae; parvulum myoparonem ingressus est cum Mexicanis undecentum, quibus, ibi ob festinationem coacervatis, praeibat Moderator. Tot vectores ad biduum, triduumve secum futuros, Gallus ille myoparonis Magister fortasse crediderat; rebus tamen, quo nescio casu, turbatis, ad duodecim integros dies ibi constitere Socii: quo toto tempore non eis lectum, quo cubarent, non lances pro capiendo alimento,

non fercula, quibus vesci consueverant. Phaseolorum, oryzae, aliorumve id generis leguminum rata portio unicuique distribuebatur; quae fortasse quis diceret inutilia cibaria: cum saepe nec ignis facultas esset, nec vasa coquinaria, nec omnino, in illis rerum angustiis, unde coemerentur. Dies decem in anchoris Delphini portum tenuerunt, atque aegre tandem exoratum est a navis gubernatore, ut Socii duo terram attingerent, cibaria igni admoturi: quae cibaria, parum fere cocta, gabatis ex argilla fictis, tanquam emendicatum cibum, unusquisque excipiebat; quo mors duntaxat arceretur, neque vero sedarentur famis clamores. Hancce tetram, et luctuosam imaginem, quam siccis oculis meminisse vix possumus, intuebatur Franciscus, utique ad speciem tranquillitatis vultu composito, afflictis tamen misericordia visceribus. Omnium oculi ad ipsum intenti erant, quem Parentis loco ducebant, cui libenter obtemperabant. Ille in medio situs, ut subditorum omnium doloribus cruciaretur, ob loci importunitatem nihil poterat communi indigentiae subvenire. Vir optimae fidei, qui in eodem myoparone vehebatur, testatus est postmodum: Zevallium id temporis nonnullos transegisse dies, quin ullo pene cibo reficeretur; et (qui mos illi erat, cum quaelibet urgeret calamitas) visum persaepe ad navigii malum, nudo capite, clausis oculis, vultu mirifice accenso, immotum stantem, nihil ad strepitus vicinos animum advertentem, uni Deo vacantem, quem profunda meditatione adorabat. In-

Indicta demum profectioni die decima septima Kalendas Octobres, e Delphini portu solvit, paucisque horis attigit Segestam Tigulliorum. Atque inde mulo vectus clitellario (quem praegrandi mole, nisi alti saxi, aut clivuli subsidio, ascendere nequaquam poterat) insignia Sodalibus dedit patientiae documenta sex illis diebus terrestris itineris, donec ad cauponam in Bononiae suburbiis requiescere jussus est. In eam praevenerat cauponam Provinciae Mexicanae Praeses, et Socios praestolabatur venientes, per eam Aemiliae partem, quae ad Bononiae, Ferrariaeque ditiones extenditur, ex Praepositi Generalis imperio distribuendos. Praeses ipse, cui cum paucis contubernalibus data facultas Bononiae commorandi, Zevallium manere secum voluit, cujus pietas, venerandusque aspectus domum illam Mexicanorum exulum praecipuam apud Bononiae incolas commendaret. Et ille sane vix in hac opulenta urbe pedem posuit, priscum suum ardorem erga Numen Eucharisticum explicare non distulit. Primo statim die post prandium, Superioris permissu domo exivit, Jesum in Eucharistia publicae patentem adorationi inquisiturus. Quod reliquo vitae tempore, nisi gravi praepediretur aegritudine, nunquam omnino intermisit; nulla aestus, aut frigoris, aut pluviarum, aut nivium, aut locorum longinquitatis habita ratione; nihil etiam absterritus, cum propemodum ad orbitatem devenisset, quod vel saxo impediente, vel solo lubricante, interdum terram deoscularetur; nihil

hil demum, quod tegula olim super caput ejus cadente, sanguine infectus, et pene intermortuus jacuisset in via. Per compita, et plateas, per promercalium officinas interrogabat, ubinam est? Mariam illam aemulatus, quae Magistri unctura cadaver, ab Olitore quaerebat, ubinam positum esset? Ut profecto a Bononiensibus eo jam notaretur nomine: *Peregrinus ille Sacerdos, qui quotidie ad Eucharisticam adorationem accedit.* Et ita quidem hac religione notus erat, ut inveniret nonnullos, qui nihil etiam interrogati monitum ultro facerent: Jesus hodie ad talis nominis Aedes, tali via sitas, adoratur. Priusquam erigeretur domesticum sacellum, summo mane Franciscus templum aliquod adibat; ac dum Socius Aedituum precabatur, ut senem venerabilem ad rem Divinam peragendam accedere pateretur; ille defixis ad terram oculis, vultuque ad modestum risum comparato, quid de se decerneretur, humiliter expectabat. Et nunquam non vicit suavissima hominis modestia obsistentes Aedituos, nunquam non exoravit optatam facultatem, quae passim aliis denegabatur. Ut primum vero Sacrarium domi habere datum est, altare suis ipse sumptibus erexit, ornamenta sacra acquisivit, et pro Eucharistia decenter custodienda, aediculam, pyxidem, lampada, oleumque ad annum totum de suo coemere nihil dubitavit. Vix diluculo, ecce in sacello Franciscum, qui genibus nixus, et religione plenus, Divini amoris voluptati vacabat, et postquam alteri facienti

ad

ad aras intererat, ipse modestissima pietate succedebat. Quod si plures Missae, uti fere semper, non interrupte consequerentur; nisi omnibus absolutis, jentatum non ibat. Siqua autem daretur intercapedo, abibat paululum, festine rediturus: ac dum aberat, mire agitabatur, nequis interea Sacerdos celebraturus accederet. Quadam die cum aquam igni calefaciendam apponeret, eaque intus cura solicitus, confestim amoveret, atque illico dissolvendum coccolatum immitteret; subridens, qui vicinus rem viderat: animadverte, inquit, tepidam vix, aut ne vix quidem, esse aquam. Ille autem lepide, ut solebat: *Ipsa viderit: si nondum fervet, fervere debuisset; quod certe satis est*. Cum nulla ultra spes esset, venturum alium, qui coelestem hostiam immolaret; in cubiculum recedebat, rerumque Divinarum lectioni dabat operam; quam tamen pluries abrumpebat, charum Jesum in sacrario visitaturus: ut si numerentur horae, quibus pronus ante aram perseverabat, majorem diei partem inibi transegisse, fortasse invenietur. Hancce ad sacellum miram viri assiduitatem, et vultum persaepe accensum, et ferventissima suspiria, et frequentem ab sensibus alienationem, et quos cum Numine sermones audiere interdum optimae fidei testes; haec, inquam, omnia qui attente perpenderit, utique conjiciet, in eo Divino commercio suavissimas ipsum gustasse delitias. Caeterum quales illae fuerint, occuluit omnino insignis ea modestia, demissioque animi, quam inter principes ejus

virtutes memoravimus: quae quidem demissio mira adlaborabat industria, ne, tale quidpiam sibi a Deo fuisse concessum, ulla paterent indicia.

Hac animi demissione impulsus cupiebat inprimis evagatae mentis homo videri. Propterea ut notum quemque salutabat, sibi moris erat alacriter interrogare: Quidnam novi est? quid litterae nuntiae referunt? Tanquam in fluxis ejusmodi rebus assidua cogitatione torpesceret. Identidem quo immoderatae voracitatis homo crederetur, siquam forte castaneam, siquem uvae racemum, siquid aliud simile in alieno cubiculo videret, instar famelici manducabat; ac precario saepe quaerebat: *Et ne aliquid, quod edamus?* Qualis autem esset simulatus helluo, in triclinio apparebat; qui nimirum vel primoribus labris ea ipsa non attingebat propemodum, quae devorabat alibi; ut se se fingeret, qui non erat. Quam de se ipse conceperat opinionem, se se reputans inter primae notae sceleratos; eadem volebat ab omnibus aestimari. Atque ea propter, cum meriti sibi honores a quocunque deferebantur, id fieri ajebat, quia qualis erat intus, non caeteris appareret. Nulla unquam occurrebat vel sibi peculiaris afflictio, vel publica Societati calamitas; cujus non illico se reum amaris verbis accusaret. In publicis consessibus, ubi primi loci honores pro munere ipsi debebantur, ea erat modestia, et verecunda cunctatione, ut, nisi ab aliis impulsus, caeteros antegredi non posse vide-

de-

deretur. Atque id erat in causa, cur in re domestica nunquam sibi permisit alienum ministerium: incerto pede tentans vestigia ob visum fere perditum, et lectulum ipse sibi sternebat, et sordes cubiculo everrebat, et caetera quaevis officia obibat, quanquam Sociorum interdum risum, et miserationem moveret. Nec semel publice comparuit in calceis, novo uno, altero attrito, et lacero; quo nimirum suimet contemptum excitaret. Mire ingeniosus erat in iis omnibus celandis, quae sibi laudi quoquomodo esse poterant. Summum Provinciae Magistratum exercuisse, nullus unquam ab ejus ore intellexit. In Magisterio, in Christiana eloquentia, in Jure Canonico, in morum doctrina Zevallium fuisse inter viros primi nominis, idcirco scimus, quia experimento cognovimus; de iis tamen omnibus nunquam ille in sermonem incidebat. Haec etiam animi demissio custos Francisco fuit ut religiosae paupertatis, quam ad extremum usque spiritum severissimus coluit; sic, et castimoniae laudis, quam toto vitae tempore intaminatam servasse testatur vir prudens, et pietate insignis, qui diuturna, atque intima novit ipsum consuetudine.

Ac jam ventum erat ad septuagesimum saeculi praesentis annum, quem vitae postremum Francisco futurum odoratus est quidam Socius, quicum ille familiarissime utebatur. Moris fuerat venerando Seni, ad Mariae Virginis festos dies comparare se fervidis precibus, inedia voluntaria, corporis castigatione, atque aliis pietatis,

tatis, et religionis operibus. Illo autem anno ad *Purificationis* Marianae solemnia, insolitis, et peculiaribus tentavit obsequiis mereri Parentis Virginis patrocinium. In ea sortitione, qua sub initium anni Divus aliquis dabatur Sociis pro toto anno peculiariter colendus, forte obtigerat Francisco Stanislaus Kostka, quem apud Mariam Virginem intercessorem adhibuit, ut sicut olim ipsi Stanislao, ita nunc sibi felicem e mortali vita transitum impetraret. Post praedicti festi novendialia, in nova, et graviora certamina vocatus Franciscus, miserum in modum angi, conscientiae quassari fluctibus, horrendaque formidine conturbari. Nullibi pax illi erat, nullibi non timebat Deum offendere: qui nimirum cruciatus amanti Deum est omnium maximus. Inde diu, noctuque ad poenitentiae tribunal accedere, nimio terrore in se inquirere, de omnibus ancipiti conscientia dubitare, seque apud Sacerdotem velut calumniari de sua superbia; quae, ajebat, fortasse impedimento est, ne, quae debuissem, satis aperiam crimina. Illum proinde obtestabatur enixe, ut tanquam cum infimae plebis homine, scelerato, et grassatore, secum ageret. Enimvero militem suum Christus tentatione omnium teterrima probare, neque tamen in praelio deserere constituerat. Septima tandem illuxit dies ante Kalendas Martias, qua Franciscus, gutture primo paululum impedito, mox ventre mirum in modum occupato, cum denique in febrim incidisset, continuo pronuntiavit, ultimum sibi morta-

talitatis diem instare. Atque ecce pristinae illae tenebrae, illi fluctus, illae procellae, quibus per mensem fere nutasse demonstravimus; radio Divinae Bonitatis oborto, repente omnino evanuere. Increvit prima illa nocte morbus, et tanquam pugione ad pectus transfoderetur, haud facile anhelitum recipiebat. Verum homo tolerantia eximius, propinqui cubiculi Socium vocare distulit in auxilium, donec jamprope albesceret aurora. Festinus ille accurrit, atque ab eo statim monitus Provinciae Praeses, domusque Socii omnes, pavore quidem perculsi ad Francisci periculum. Extemplo mittitur, qui Medicum accerseret; sed intempestiva illa hora nullus inventus est, qui aegrotanti confestim subveniret: sive homines pro tempore bacchanalibus vacarent, sive in utramque dormirent aurem; pulsanti fores nullibi certe occurrerunt. Interea ratus Moderator, cunctationi locum non esse, Sacro Viatico praemuniri desiderantem imperavit. Comparuit tandem post horas aliquot Medicus, qui, re cognita, missionem praecepit sanguinis. Ille, quanquam suae corporis constitutioni minime id expedire arbitrabatur; ut erat obedientiae observantissimus, illico dicto Medici obtemperandum existimavit: nec toto aegritudinis tempore aut Medico, aut pro valetudine inservientibus vel minimum restitit, vel unquam in illorum placita effatus est. Vehementi sane impetebatur dolore, atque animae interclusione agitabatur ad interitum; una tamen ab ejus ore nihil interrupta prodibat in

has

has voces tolerantia: *Sit nomen Domini benedictum; Dominus aeternum benedicatur*. Et qui hanc invictam frontem corporis cruciatibus opponebat, animo erat ita tranquillus, ut haec ad Socium lecto assidentem instar mirantis pronuntiaverit: *Equidem inopinata pace fungor in hac postrema hora; ut non solum mori me paratum inveniam; sed sim etiam mirifice vitae pertaesus, et instantem mortem aspiciam incredibili voluptate: quod utique ostento simile mihi est; ego enim*: Et nihil ultra locutus, plura dedit facile intelligenda: nimirum se se appellare voluisse, quod solebat, virum imprimis perditum, et sceleratum. Inde cum Sacerdos ipse hortaretur, ut vitam Domino libenter offerret pro Societate Jesu tot afflicta calamitatibus; in ea moribundus prorupit Nazianzeni verba: *Si propter me commota est ista tempestas, dejicite me in mare, ut vos jactari desinatis*. Quarto Kalendas Martias, denuo refectus est Eucharistica dape; qua vix accepta, nihil postmodum locutus est, nisi sacrum illud Canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*. Et quidquid ipsi ab Sociis diceretur, sive ut doemonem fugarent, sive ut aegri vires aliquantulum recrearent, sive ut animum spe foverent in illa hora terribili; omnino audiebatur intermortuis jam vocibus responsum: Benedicite Domino. In eisdem repetitis vocibus et ritu Ecclesiae unctus est, et subsequenti die, tertio Kalendas Martias, hora post noctis dimidium prima, placidissime tandem efflavit animam. Hoc vulgato, cadaver tumulandum petiit

tiit Franciscus Ignatius Perus, Jesuitarum tironum ad Sancti Ignatii Collegium Moderator, vir et nobilitate clarus, et religione egregius, et humanitate in Socios exules affatim eximius. Et hic quidem, magna subditorum parte comitante, prima insequentis noctis vigilia pompae funebri ad Templi fores occurrit: qualis nimirum pompa et exulem, et religioso voto pauperem decebat; quam tamen praesens decorabat Josephus Utrera, qui merito id temporis gerebat supremum Mexicanae Provinciae Magistratum, quem cuncti domus contubernales praecedebant. Interiit Zevallius, cum aetatis annos exegisset sexaginta quinque, menses quatuor, dies viginti: sepultus est prima die magni jejunii. Erat statura paulo infra mediocrem; capite nudo admodum capillis a vertice ad frontem; colore albo; naso ad resimum propiori; aspectu comis, et majestate plenus; collo semper propemodum ad anteriorem partem inclinato, et hinc dorso paululum prominenti; colloquio suavis, et lepidus; ingenio facilis, perspicax, profundus; utique dignus, quem Socii omnes planctibus defunctum prosecuti sint, et de cujus laceris indumentis comparare sibi particulam, tanquam pietatis monumentum, certatim procuraverint.

JOAN-

JOANNES ROTERICIUS.

A Puero mihi notum, fidissimaque nec unquam interrupta constrictum amicitia Joannem Rotericium, ut amabilem sincera innocentia, sic mirabilem Angelicis moribus toto vitae suae tempore judicavi. Non illi datum est ob aetatem ad ea devenire ministeria, in quibus enitere solent maxime virtutes hominum, qui Apostolica vestigia sequentes, in Domini vinea insudant. Arbos fuit Joannes, quam praevenit Dominus benedictionibus dulcedinis, et quae mature florida, videbatur datura tempestivos, eosque jucundissimos fructus; cum repente translata est ad oram fluminis, quod laetificat civitatem Dei. Fons fuit scaturiens puris, et salutaribus aquis, qui erupturus jam jam, ut sua copia foecundaret agros, illapsus est in immensum pelagus beatae aeternitatis. Utique vix triennium attigit ultra eam aetatem, quam ad Sacerdotium obtinendum praefinivit Ecclesia; verum qui meminerit Gonzagas, Kostkas, Berchmansios, Cajetanos, aliosque juvenes vix ultra Bullae annos, qui ex norma legum Ignatianarum ad altissimam virtutum perfectionem deducti sunt; nihil profecto mirabitur, quod eaedem leges, adamussim custoditae fere a prima pueritia, Joannem Rotericium virum usquequaque absolutum tenella etiam in aetate formaverint. Tas-

Tascum patriam habuit, quod Mexicani Archiepiscopatus est oppidum; in quo natus est anno humanae salutis millesimo septingentesimo quadragesimo secundo. Parentes illi fuerunt Ignatius Rotericius Molina, et Maria Solana Taboada; qui quanquam modica facultate vixerint, filios tamen optime instituerunt tum in re civili, tum potissimum in morum disciplina. Duos hi genuere filios, filias totidem; e quibus Antonius natu major ad Sacerdotes, quos vocant Saeculares, in patria cooptatus est; sorores, Josepha, et Ignatia, in puellarum Parthenonem Mexici receperunt se se; Joannes, quem modo describimus, Lojolaea vexilla secutus est. Et hic pene infans aperta dedit indicia, qualis olim futurus esset; cum longe a joculis puerorum id aetatis, nullibi recreationem inveniret, nisi pium aliquod exercitium imitaretur, Missam praesertim, cujus caerimonias apprime didicerat, religiosum Patrem quotidie ad Templum comes insequens, ut maxima cum voluptate Sacerdoti facienti ad Aras ministraret. Enituit jamtunc sincerus ille amor erga Virginum Reginam, atque Angelicos juvenes Gonzagam, et Kostkam, quorum pietatis imaginibus nunquam deerat honorificus locus in parvulis altaribus, quae sibi construebat. Hos inprimis habere charissimos, ipsorumque se vestigiis insiturum, apud supparem quemdam familiariter asseveravit, cum id temporis gravi morbo corriperetur. Quam piam voluntatem mire fovit per eos dies, cum sacras facturi conciones Tascum pervenissent

sent-

sent Jesuitae quidam; quorum modestam oris compositionem, et sudores Apostolicos cum animadverteret pius juvenis, charorum Gonzagae, et Kostkae ad vivum expressas imagines aspicere se existimabat. Hanc secum cogitationem cum volveret, Mexicum missus est, latinitatis rudimenta edocendus in alumnorum Collegio, quod vulgo Rosarium nuncupabant. Litterarum studium, cui conatu, et alacritate maxima totum se commisit, non modo non imminuit, verum et novum auxit decorem ingenitae juvenis pietati. Sacerdotis, quem a confessionibus elegerat, fideliter addictus consiliis, ter in hebdomada expiabat se se sacramentali confessione, coelestem dapem ferventi religione totidem suscipiebat. Ad pietatis exercitia, quae statis diei temporibus communia erant alumnis omnibus, plura et ipse adjungebat, precationi, atque observantiae in Mariam Virginem, aliosque coelestes incolas totus intentus. Ea etiam aetate, voluntaria inedia, et aliis afflictationibus corpusculum coepit macerare; quod quidam tunc ejus contubernalis fidissimus, inde relatus ad Socios, hodie testatur. Quorum sane omnium is illi potissimum scopus, ut, in vitae statu eligendo, Deum Patrem luminum propitium sibi experiretur. Proinde ut primum credidit, ad Societatem Jesu se vocari, nihil distulit, tanquam Deo jam devotus esset, mores componere, atque ea tum verbis, tum operibus pietate se gerere, quae Lojolae filium observantissimum deceret. Porro nihil mirandum

ar-

arbitror, quod adolescens tam praeclara indole Sacerdoti, cui conscientiae arcana credebat, cunctisque Praeceptoribus, quasi jam voto sacer, obediret; nihil etiam, quod virtutes alias, quibus Magistros enitere animadvertebat, in semet ipso tentaret, atque obtineret effingere; sed quod sane maximum, coenobitarum paupertatem aemulabatur, nunquam apud se passus, vel paucos illos nummulos, quos pro sumptibus id aetatis a Parentibus pueri solebant accipere. Joannes, quidquid alicunde sibi obtigisset pecuniae, fratri natu majori credebat continuo, nullum videlicet habiturus usum, qui ex alieno arbitrio non descenderet.

Tanto ad virtutis aedificationem fundamento triennium totum in latina lingua addiscenda transegerat; cum, increscente desiderio consecrandi se Deo, a Provinciae Praeside suppliciter postulavit, ut se ad Societatis candidatos adscriberet. Moderabatur tunc temporis Provinciam Augustinus Carta, egregia simplicitate, ac spectatissima prudentia Sardus, qui cum Joannis conscientiam in Sacramentali confessione diu rexisset, praeclarum sibi ducebat; tali posse commilitone Mexicanam Provinciam adaugere. Caeterum impedimento erant tum aetas, cujus annum quintum decimum Joannes non attigerat; tum sinistri oculi vitium, quem albugo, ante annos aliquot enasci visa, poterat aliquando obscurare. Idcirco, mature pensatis omnibus, decrevit tandem Carta, sinminus negare omnino, rem saltem procrastinare; si temporis

forte beneficio de petentis valetudine indulgentius Medici ominarentur. Nihil ad haec exterritus juvenis, preces ad coelum ingeminabat; ut, quoniam homines non poterat, pietatis operibus Deum sibi flecteret, qui charorum patientiam probaturus interdum, pio cuilibet cogitato solet ad tempus difficultates obtendere. Nec recusavit Joannes, quo tale impedimentum removeretur, periculosae, plenae doloribus, et cujus erat incertus exitus, curationi succumbere. Interea vero philosophicis cognitionibus dabat operam eodem sane ut ardore, sic et profectu, quo grammaticis vacaverat. Et quod de moribus est, testatur quidam Sacerdos, instituendae tunc temporis juventuti Mexicanae praepositus: eo Joannem fuisse jam tunc judicio supra aetatem maturo, ea exterioris cultus moderatione, tam facili. et benevolentiam sibi conciliante indole, tam humili erga Praeceptores reverentia, tam angelica modestia; ut contubernalibus omnibus pietate praeiret, nec unquam moribus noxam illum admisisse ullus viderit. Equidem, quod ab initio demonstravi, familiarissime cum illo agebam, et quasi praesentia mihi mente sunt felicissima illa tempora, cum fere non intermissa ipsius consuetudine fungebar; neque vero memini, ad innocentes joculos, quae pueris delitiae sunt, vel semel Rotericium declinasse. Unam ab studio requiem quaerebat, vel in sibi constitutis ad Superos precationibus, vel in sermonum tranquillitate cum amico aliquo, qui vitam probam sive ageret, sive agere videretur:

at-

atque hi sermones vergebant ut plurimum aut in Mariae Virginis amorem, aut in alia coelestia prorsus, atque Angelis digna colloquia. Confecto Philosophiae curriculo, patriam repetiit; a qua tamen, cum novisset, Provinciae Praesidem renuntiatum Petrum Realesium, cui charus erat inprimis; contendit illico Mexicum eo praecipiti cursu, ac diligentia, ut biduo iter fecerit, nulla sibi per viam data requie. Nec spem suam fefellit novi Moderatoris amor; a quo tandem exoravit, ut pridie Idus Septembres, anno millesimo septingentesimo sexagesimo Tepotzotlanense tirocinium ingrederetur.

In illa sacra solitudine caepit confestim eminere, Societatis praeceptionum, vel quae minime habebantur, fidelissimus venerator. Nunquam non inter primos mane sacellum adibat, Jesum in aris latentem adoraturus. Intendebat precationi semper genibus nixis, etiam cum ob adversam ibi contractam valetudinem oppido destitutis erat viribus, atque omnino cadaver inambulans videbatur. In eadem precatione ita durabat serenus, immotus, ad modestiam compositus, atque a contagione corporis velut abstractus, ut et facile conjiceretur, quanta flamma ureret ipsius praecordia Divinus amor; et stupore attoniti essent propinqui tirones, qui tam compositum vultum aspiciebant. Porro asseverant nonnulli, solummodo si Joannis precantis faciem intuerentur, viam sibi securam esse, ne omnino possent ad inanes cogitationes evagari. Hujus in precando fervoris fructus erat

intenta illa toto die sensuum custodia, innocensque vita sibi semper constans, quam nullum ex otio verbum, nullum incompositum factum maculabat. Videbatur illi a natura ingenitum gaudium, et voluptas quaedam in rebus omnibus ad pietatis cultum allicientibus. Ita familiarium sermonum materies persaepe illi erat de imminentibus corporis castigationibus, aliisque pietatis operibus, quibus tirones patrocinium Superum sibi comparaturi, novendialibus ante plura solemnia exercebantur. Hujusmodi impulsus voluptate, ultra constituta illa tempora, quibus bis quotannis ad sacras meditationes per dies octo secedebant tirones, pro aliis octo ante Gonzagae diem festum enixe Superiorem rogavit: cui desiderio indulgendum, prudenter duxit Josephus Utrera, ea tempestate tironum Magister; cum plane nosceret, quo Spiritu Joannes ageretur, et quantum juvet extraordinaria irrigatio agrum fertilem, suaque natura se se in fructus effundentem. Prono semper animo erat ad viliora munera obeunda; quaecunque tamen illi Superior credidisset, aequali agebat omnia solicitudine, nihil interea distractus ab interiori Numinis cultu: qui sane cultus, quidquid ageret, quidquid diceret, norma operum illi erat, norma verborum. Ita crescente in dies animi fervore, cum tironum Praefectus ab Utrera designaretur, non vulgari prudentiae laude muneri satisfecit: et post biennium exactum, votis jam religiosis, ut ardenter optaverat, Deo consecratus, ad humaniores litteras addiscendas transivit.

Et

Et quidem cum solicitudo illa ferventissima, qua rerum piarum exercitationibus intendebat, non ex loci natura esset, aut temporis, aut Sociorum, sed quod utique res Divinas magni didicerat aestimare; neque studiorum defatigatio, neque ipsorum diversa natura, tum cum amoenioribus rhetoricae, ac poesi daret operam, tum cum abstrusas philosophiae subtilitates persequeretur; causa illi fuerunt, ut in arrepta virtutum semita intepesceret. Et ipso studiorum tempore resplenduit potissimum ejus religiosa sedulitas, adauxitque alacria vota in pietate proficiendi: ratus nimirum, ut primum inter Socios litteris vacantem se vidit, debere sibi morum exemplar proponere Angelicum juvenem Aloysium. Hujus profecto vitam quoties vel casu apud unum aliquem familiarem invenisset, avidissima legebat jucunditate; curabatque solicitus, quas mane virtutes legeret, regulam sibi ad diem totum et operum, et verborum praefigere. Praeter destinatam sacris commentationibus horam, cui quotidie vigilantissimus intererat; moris etiam illi fuit semel in mense tanquam receptui canere, diemque integrum coelestium rerum meditationibus consecrare. Hoc nihil immutato vitae religiosae tenore, vacavit annum totum litteris humanioribus, alterum philosophiae repetendae, tertium studendo Theologiae: quo postremo exacto, renuntiatus est Magister, qui Patzquarenses pueros grammaticam edoceret. In eo munere adimplendo, singulari fuit alacritate,

et conatu, nihil non tentans, ut Christiani hominis virtutes inter discipulos promoveret; nec interea latinitati data tempora, ingenuamque ac civilem institutionem praeteribat. Et pueri quidem noverant, displicere nimium quantum Magistro negligentiam in re litteraria; caeterum displicere plus oppido, cum noxam vel minimam in christianas leges eos admisisse animadverteret. Assiduus hortabatur, consilio juvabat tum omnes publice, tum privatim singulos, ut opportuna quaeque se dabat occasio. Christianae doctrinae rudimenta enucleate, ac patienter explicabat; libros in schola legi imperabat, quos praecipuos experimento didicerat, ut a tenera illa aetate timorem Dei salutarem ebiberent. Toto virium conatu in id incumbebat, ut ad Poenitentiae, atque Eucharistiae Sacramenta quamfrequentissime accederent: quam videlicet securiorem noverat semitam, ne a recta aberrarent via; vel, si humana fragilitate lapsi essent, ut a criminum veterno excitarentur. Persaepe ad illos colloquia movebat de Virginum Regina, cujus et praestantissimas dotes, et innumera humano generi praestita beneficia, et patrocinii magnitudinem memorabat; rationemque docebat, ea praestandi officia, quibus tantam sibi Matrem demererentur; haec inter pietatis officia, et verbo monebat, et exemplo praeibat, ut piaculares globos in ipsius Virginis honorem percurrerent; quod ille genibus provolutus quotidie in schola faciebat. Praeter hos domesticos labores, concionandi muneri quamliben-

libenter etiam vacabat; (quod solebant in illis Collegiis grammaticae Praeceptores) Fidei dogmata, sacramque Christi doctrinam ingenti animi fervore ad populum explicabat. Neque vero concionari unquam audebat, quin scriptam suam oratiunculam aetatis provectae viro emendandam prius detulisset; cujus utique sententiam, qua pueruli solent sinceritate, Rotericius audiebat. Et favebat quidem Deus pio juvenis oratoris conatui, atque illi largiebatur affatim, non modo copiam, perspicuitatem, elegantiamque in componendo; verum etiam efficaciam quamdam, fervorem, atque expeditam in dicendo facultatem; quam nemo sane ullus ab ingenita ipsi speraret verecunda cunctatione. Post annum Magisterii, cum sensim increvisset adversa ejus valetudo, cessare a munere jussus est, Mexicumque remeare, Theologiae absoluturus curriculum.

Huic dedit operam ad alterum fere annum, nimirum ad eversionem usque Mexicanae Provinciae, Jesuitarumque expulsionem ab Hispania universa. Hujusmodi casus, qui tot aerumnas exulibus attulit, Joanni quidem fuit clarissimarum virtutum proventus uberrimus. Tot marium discrimina, tot terrestrium itinerum incommoda, conquestionem elicere nunquam potuerunt a patientissimo juvene, neque vel leviter ejus vultum turbare; qui semper erat religiose placidus, et facile poterat fractos animo contubernales ad coelestem laetitiam revocare. Nec post longa itinera lassitudo, nec diverso-

riorum angustiae impediebant, quominus Divinarum rerum commentationi ad horam quotidie, ac sacrae lectioni ad constitutum tempus vacaret; maneque ac vespere, de Societatis praescripto, sua omnia facta, dicta, cogitata, coram Deo perpenderet. Alias etiam ultro addebat precationes quamplurimas, quibus adjutus, in ipso rerum strepitu tranquillus durabat, animi solitudine gaudebat, Fidei actus assidue ingeminabat, Numen in omni loco, et tempore, mentis oculis praesens conspicabatur. Veracruce ad tres menses, et fere dimidium commoratus, quanquam a coelo insalubri rueret in deterius ejus valetudo; mane quotidie ad horas aliquot ante lucem surgebat: quo nimirum tum aurae subfrigidae, tum silentii opportunitate, sacris meditationibus tranquillior daret operam, atque inde pluribus ad aram facientibus ministraret. Charissimum erat hoc illi officium, quod ferme ad dimidiatum mane protendebat, nihil exterritus ad perniciosam sacelli humiditatem, nihil etiam ad infestos pulices, quorum eo loci erat innumera multitudo. Quidquid diei superérat, aut studio, aut pietatis operibus intendebat; quorumdam maxime consuetudinem amans, quibuscum aut Divina legebat, aut Mariam Virginem solito penso salutabat, aut colloquia de rebus coelestibus instituebat. Desiderio flagrabat comparandi se se ad navigationis pericula sacris per dies octo meditationibus. Caeterum ne id aperte postularet, timor impediit: ne quis aut bonam de se postulante opinio-

nionem conciperet, aut rei novitate offenderetur. Nihilo tamen secius, re mature considerata, et probatae prudentiae viris proposita; cum gratum Superioribus futurum intellexisset, (quibus, in illa rerum perturbatione, imperare non placuit) rationem excogitavit, in tanta diversorii angustia, locum inveniendi, ubi liberum esset volenti cuilibet ad sacras commentationes recedere. Hunc ipsum agendi tenorem postea retinuit in Mnestei portu; et universim, ubicunque morari datum est, prima illi solicitudo erat de piarum rerum usu, quibus fere non intermissis, diem exigebat, nisi ad alia traheret charitas, aut Superioris imperium. Toto navigationis tempore tanquam sibi jure debitum elegit officium, et aegrotis, et aetate provectioribus inserviendi; quod tanta fecit comitate, alacritate, et constantia, ut etiam nautae mirarentur. Duos praesertim, annis jam graves, et valetudine affectos, proposuit sibi totis viribus adjuvandos; qui profecto sive transire alio vellent, Joannes erat illis instar baculi; sive reficiendi essent praefinitis horis, Joannes ministrabat; sive medicamentum sumpturi, Joannes afferebat; sive taedium eis crearet vita illa tam otio referta, quam aerumnis, Joannes praesto aderat, verbis religiose jucundis, modestaque hilaritate ab suis aegris molestum otium depulsurus; quin aut immensa rerum confusio, aut navigium fluctibus agitatum, aut vacillans interdum ejus valetudo, ab incepto charitatis officio removerent. In terrestri itinere a Segesta Ti-

Tigulliorum ad Pontificiam usque ditionem, Socios aliquot pedites ipse comitabatur; et quanquam magni interesset, quamcitissime diversorium attingere, ut requiem corpori daret, fracto prorsus, et viribus destituto; gressum tamen componebat ad debiliorum facultatem; nihil propterea curans, quod adulta jam nocte ad destinatam venirent cauponam; aut etiam (quod semel accidit) omnino non accederent. Ut in diversorium ventum erat; conspectum omnium, quoquomodo poterat, continuo fugiebat, tum ut solitis pietatis exercitiis reficeret animum, tum vero ut, nulla sui absentis habita cura, libera caeteris facultas esset, quem quisque mallet angulum pro suo lectulo praeoccupandi: atque hilari risu excepit, cum, sero superveniens, locum fere non habuit, ubi corpus itinere defessum, et valetudine prostratum sopore componeret. Utique nunquam visus est non modo sibi eligere, verum nec longe aperire desiderium hujus equi, aut navigii, aut cubiculi; quibus in omnibus ipsa rerum perturbatio locum dare videbatur arbitrio.

Ad Castrum Divi Petri in Aemilia, milliaribus a Bononia plus duodecim, locum sibi a Superioribus destinatum, cum tandem pervenisset; commodius tempus nactus est, ut pietatis exercitiis tranquillior intenderet. Quae profecto exercitia illam diei partem occupabant, quam a Teologiae studio reliquam habebat. In hujus Divinae scientiae cognitionibus eo majorem adhibebat conatum, quo, praeter obedientiae meritum,

ritum, opportunius ornamentum homini esse crediderat, qui ad Sacerdotii excellentiam quamprimum esset promovendus: etenim quantumvis pro ingenita demissione animi penitus indignum se existimaret, qui ad tantam eminentiam extolleretur; praevaluit tamen ardentissimum desiderium, se se intime, ac frequentius cum Numine copulandi. Anno igitur millesimo septingesimo sexagesimo nono, Februario mense, per omnes *Ordinum* gradus, ex Ecclesiae more, ad Sacerdotii fastigium evectus est. Atque eodem ipso tempore tentare voluit Deus Joannis patientiam: cum enim lenta febri per eos dies corriperetur, incertum diu fuit, num posset in eo statu valetudinis ad sacros *Ordines* promoveri. Magis quam aegritudine, cruciabatur pius juvenis anxia formidine, quae mentem ejus agitabat: ne praeconceptam animi voluptatem, ob sibi proximam cum Numine conjunctionem, deponere opus esset. Attamen ea demissione, ac temperantia Divino se commisit imperio; ut vehementem animi dolorem nullo prorsus aperuerit indicio. Non impediere febres, quominus tandem Sacerdos consecraretur: quas febres immisisse solummodo videbatur Deus, tum ut Joannis desideria accenderentur; tum maxime ut appareret eximia Pontificis promoventis erga promovendum benevolentia, singularisque opinio, quam ille paucis diebus de infirmi merito, et virtute conceperat. Porro conjecturae facilis est, quanto pietatis fervore primam hostiam Numini libaverit, quantaque sedulitate, dum vita su-

superfuit, ad eamdem quotidie offerendam accesserit; qui a puero habuit in delitiis, Eucharistica dape se reficere, ac rem sacram facientibus ministrare. Hanc facere Sacerdos ipse nullo certe die praetermisit, nisi gravi aegritudine omnino impediretur e lecto consurgere. Ad aram agebat lente gravis, et circumspectus; majestatem, modestamque serenitatem praeseferebat: ut quicunque attente interesset sacrificanti, praeustum Divina charitate animum, et reverentem mysterii fidem internosceret. Longam coelestium rerum meditationem sacrificio praemittebat; ad quot tamen horas, penitus ignoramus: nam vigilantiores etiam, cum excitarentur a somno, se se a Joanne praeoccupatos demirabantur. Equidem cum per id temporis in eodem cum Rotericio commorarer cubiculo, testis fui oculatus, hora post noctis concubium quarta cum dimidia nunquam non illum paratum fuisse, ut rem Divinam perageret; postquam consuetum coelestium meditationi tempus dedisset; atque in silentio noctis, quem sibi quotidianum usum praestituerat, longa corpus flagellatione macerasset: neque vero scire unquam potui, tametsi ante diluculum evigilarem interdnm, quot jam horas in Divinis lucubrationibus insumpserat Rotericius. Et erat hic annus, in quo, de more Societatis, post confecta studiorum curricula tertio probabatur: quem annum ut absolveret, Bononiam contendere a Superiore jussus est. In hac Bononiensi domo post menses aliquot datum illi fuit incolere cubiculum sacello proximum,

un-

unde commodum erat ex interiori fenestra Jesum Eucharisticum adorare. Quibus ferventissimo viro, et latentis in ara Numinis amantissimo, sponte oblatis delitiis, factum etiam est, ut, siquando celebraturo Sacerdoti minister non aderat, Joannes e propinquo vocaretur, qui semper alacri animo veniebat ad gratissimum ejusmodi ministerium. Haec eadem propinquitas, parum abfuit, quin ruinosam ejus valetudinem omnino prosterneret: cum enim, olei vitio, flamma lampadis ante aram Numinis facile extingueretur; Joannes perquamanxia solicitudine, bis, terve, singulis noctibus e lecto desiliebat, ut illam refoveret, atque excitaret. Quam sane vigilantiam occuluissent penitus noctis tenebrae, nisi in morbum cum incidisset, rem aperiendam existimaret: nimirum religione ductus, ne, si obstinaret ad silentium, extinctus Numinis Eucharistici lychnus quotidie mane inveniretur. Tertio ad annum probatus, atque iis dotibus florere visus, quae maxime forent utiles ad Societatis ministeria, si prospera illucescerent aliquando tempora; in aliam jubetur ejusdem urbis domum immigrare. Sed jam lentae febris repetitis corripiebatur assultibus, paulatim destituebatur viribus, atque omnino tabescere videbatur: proinde post paucos menses ad valetudinarium moriturus extrahitur. Domus erat haec Utrerae Moderatoris imperio conducta, quae Mexicanis exulibus infirmitatis tempore in refugium pateret. Ibi ergo cum diuturnis mensium quinque doloribus, inedia,

per-

pervigiliis, fervidissimisque Divini amoris exercitationibus, aeternitati se comparasset; intaminatam efflavit animam: cujus eventus adjuncta plura referemus, postquam gustandum dederimus compendium ipsius virtutum, quibus implevit sanctissimae, ac mirabilis vitae dies, quanquam numero paucos, magni tamen ponderis ad plenam, immo redundantem gloriae mensuram.

Animi demissio, superimpositae Christianarum virtutum fabricae solidum fundamentum, in omnibus ejus operibus, in gestu, in verbis, in vultu, mirifice resplendebat. Ingenitus Joanni erat a natura suimet contemptus; nec arte, aut studio unquam opus habuit, ut se, suaque, quoties daretur occasio, libenter despiceret: quasi nihil habuisset laude dignum; sive ab ipsius naturae dotibus, quales erant ingenium, comitas, judicii maturitas; sive ab honesta, et civili educatione, qua functus erat ab optimis Parentibus; sive etiam ab aliis donis, quibus abunde fuerat ab supremo munerum largitore cumulatus. Atque eo quidem devenerat ejusmodi sui contemptus, ut magnae vir auctoritatis, cui Joannes aperiebat animi sui arcana, necessarium crediderit ipsi persuadere, non vulgaribus dotibus insignitum se se: ne videliçet opinio illa, quam perperam de se conceperat, in perniciosam abjectionem desineret; noxiaque subinde negligentia, dona sibi commissa non excoleret. Hinc illa mirabilis propensio ad viliora quaeque munera sibi adjudicanda: hinc

pa-

pariter, quod hilari semper animo tum aegrotis, tum etiam bene valentibus inserviebat; utique vires charitate suppeditante: nam vires corporis ut ab adversa valetudine, sic etiam ab inedia voluntaria extenuatae, vel sibimet inserviendo vix sufficerent. Hujus itidem altissimae virtutis fructus erat tetra illa cogitatio, qua mirum in modum excruciatus, in haec verba semel, et iterum prorupit: *Equidem, si Deus aliquando Socios exules ad excolendam suam vineam revocaret, nec verbo Divino annuntiando, nec ministerio confessionum idoneum me futurum existimo.* Profecto sua ille sententia nec morum scientiam, nec fere grammaticae rudimenta satis didicerat. In cubiculo cum contubernalibus, in triclinio, in sacello, ubilibet tandem plures congregari opus esset, non modo postremo contentus erat loco; verum et hunc praeoccupare satagebat. Id vero, quantum industria poterat; longe nimium ab affectata quadam demissione, quae solet sibi honores viis obliquis aucupari. Verbum, quod suam laudem redoleret, nunquam auditum est in ore Rotericii; qui ut erat caute solers in suis dotibus altissimo silentio tegendis, ita facilis admodum in alieno merito extollendo. Et quidem ut laude dignum in alio quid viderat, continuo ad amicos (quantumvis intempestiva videretur interdum narratio) rem nuntiare festinabat, innocentis pueri sinceritate, qui rei, quam laudat, desiderium ingenue aperit; nullo tamen malesanae invidiae livore maculatur. Paucis ante postremam aegritudinem die-

diebus, cum Joannis cubiculum ingrederetur quidam ejus familiaris, invenit ipsum lacrimarum pelago immersum, ut aegre posset salutem dicenti respondere. Interrogavit amicus: quae tanti fletus causa esset? Silebat propemodum obstinate Joannes; fortasse, ne inconsulte ab humanis expeteret solatium, quod ab uno Deo sperandum in calamitatibus judicabat. Sed cum alterum miseratio, et charitas urgerent, atque iterum tertioque precaretur, ut ingentis doloris causam aperiret; haec tandem ab afflicto verba potuit extorquere: *Equidem animo vehementer crucior, quoniam praeter alia mea crimina, teterrima me subiit cogitatio, totam meam vitam fuisse hactenus fucatam virtutis imaginem, simulatam pietatem: angor nimium quantum, atque intrinsecus torqueor, quod propterea me virum probum, falsa delusi specie, nonnulli existimaverint; atque inde in funestissimam veni suspicionem, me jure merito aeternis flammis a Deo, justo Judice, detrudendum*. Exhorruit familiaris ille, cum ejusmodi audiret ab ore viri immaculati; ac datis, quaqua potuit, solatii verbis, admiratione attonitus recessit, secum ipse cogitationem evolvens, quo posset pacto, se tam acriter calumniari, qui vitam semper duxerat, quae non conflati ex humana carne, sed fere Angeli videbatur.

Hanc animi demissionem consequitur individua comes paupertas, in cujus cultu, atque amore plura nobis, eaque miranda reliquit Joannes documenta. Demonstravimus alibi, hanc

a pue-

a puero charissimam illi fuisse virtutem, fratrique natu majori, suo tractandam arbitrio pecuniam, quam undecunque Joannes ipse acquireret, permisisse. Deinceps voto paupertatis in Societate devinctus, pauperrimam egit vitam, pauperrimus ab illa excessit: nec certe rem ullam pretiosam, a qua Joannem divelleret, mors invenit; qui, nisi quasdam Sanctorum imagines, easque papyraceas, libros aliquot de coelestibus agentes, et macerationis instrumenta, nihil eo tempore possidebat. Quidquid ultro sibi a benevolis offerretur, nunquam recepit, nisi habito Superioris consensu. Cum Patzquari grammaticam edoceret, assidue ad ipsum deferebantur munuscula: ibi enim gentium in delitiis habent puerorum Parentes, animi grati nomine, pluribus id generis Magistrum demereri. Joannes vero quaecunque reciperet, praemisso Superioris assensu, aut in domus penuaria cella reponebat, aut discipulis ipsis, aliisve indigentibus distribuebat. Siquando aliquid pro suo usu peteret, quanquam abunde suppeditaretur, id tantummodo sibi sumebat, quo praesenti necessitati satisfaceret. Hanc animi temperantiam non solum servavit, re Societatis in hispanis ditionibus integra, cum pro necessariis ad vitam religiose tuendam habebant Socii communes proventus; verum idem caducorum omnium despectus, paupertatisque studium in illo viguit post inversa omnia, cum in solo alieno suae deberet indigentiae unusquisque consulere. Mexico discedens, pro immenso itinere secum detulit

T duo,

duo, triave indusia, totidem subligacula, et paucos libros coelestia tractantes, quibus otium per viam depelleret, atque animum inflammaret. In exilium cum devenisset, ubicunque diversatus est, ad alienum semper vixit arbitrium, unum aliquem e sibi familiaribus quaerens, cui sua committeret omnia, traderetque custodiendam et annuam sibi ab Rege datam pecuniam, et siquid alias charitatis nomine donaretur. Pecuniam pro Missae sacrificio recipere nunquam voluit; nisi hostiam ille offerret, ut habitis inde nummis necessitati alienae subveniret. Quadam die ad aras cum fecisset, ut amici absentis vices impleret, obstinatissimo fuit animo in pecunia, pro sacrificio oblata, rejicienda; donec manifeste declaratum illi est, eatenus id sibi dari, non quod Missam alterius loco celebrasset, sed quod alter ipsi, tanquam pauperi stipem, beneficus largiretur. Unum illi duntaxat in cubili erat linteum, et nullo operimento cervical; nullum praeterea stragulum, quod debile, atque affectum corpus ab hiemis asperitate defenderet. Hanc hominis indigentiam tunc primum novere Socii, cum ille Bononiae febribus laboraret: cui penuriae cum illico generosa cujusdam charitas occurrisset; Joannes, ut convaluit, restituere tentavit, quod tempore infirmitatis acceperat. Ac sane restituisset, nisi qui dederat, torvum aspectum opponeret, suaque resumere dona obfirmate recusaret. Hic idem beneficus nihil movere illum precibus alias potuit, ut nonnulla, quibus egebat, ab se reciperet.

ret.

ret. Ipse ille Socius, cui sua commiserat, vigilanti sedulitate rimari opus habebat, siquid fortasse illi deficeret: nam vel sua petere, ut plurimum abhorrebat. Coemit olim nescio quid sibi necessarium, et pro decem assibus, quibus fuerat res vendita, convenit pecuniae suae custodem: qui custos cum assem tantummodo tradidisset, inde intellecturus, num monetarum pretium Rotericius cognosceret; festinabat iste debitum solvere, nihil plane dubitans, nummum sibi traditum decem assibus constare. Beatam dixerim ignorantiam! ut beatum virum, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniae thesauris! Haec sane ignoratio a generoso contemptu, vel etiam taedio rerum omnium caducarum, trahebat originem: et certe pecuniam, tertio quoque mense Sociis exulibus ab Rege assignatam, ut chartula involutam acceperat, suo illi rerum custodi confestim tradebat; quin vel ipsam recensere, vel saltem aspicere dignaretur. Nummos, etiam alienos, nunquam prope se patiebatur; quod manifestum fecit, cum precanti Socio, ut, ipso jacente infirmo, paucae monetae sub cervicali ad breve tempus deponerentur, id admittere negavit omnino. Neque vero hunc paupertatis amorem in pecunia solum contemnenda demonstravit; verum etiam erga omnia, quibus utebatur, ita erat affectus animo, ut nihil gauderet, ea possidens; nihil, amittens ipsa, tristaretur. In postrema aegritudine Superiori tradidit testudineam pyxidem, qua pro custodiendo *tabacco* usus olim fuerat;

 se-

semet accusans, quod fortasse illam voluptate quadam possideret, ultra quam inopiae voluntariae perfectio pateretur. Ac ne quid timendum esset de ineuntis morbi contagione, propterea que secum retinere pyxidem juberet Superior; serio testatus est, infirmum se nunquam illam contrectasse.

Quod ad castimoniam attinet, satis est dicere, neminem ullo unquam tempore fuisse, qui aut verbum ab eo audierit, aut factum conspexerit, quod angelicam hanc virtutem vel minimum macularet. Dum per vires licuit sibimet in necessariis quibuscunque ministrare, nullatenus permisit ab alio tangi, vel prostratus jam, et mirum in modum debilis; nec visus unquam est, etiam innocentis joci causa, manu aliquem contrectare. Omnino verecundus, et pudicus, qualis intus erat, exterius apparebat; ea constantia maxime in vultus modestia, ut ingenita sibi a natura virtus illa pulcherrima videretur. Neque tamen haec illi gloria sine acri certamine: nam stimulis aliquando tentatus, de re inhorrescens, victor statim sui, triumpho felix, dulcissima serenitate fruebatur; nullis inde morsibus, qui meticulosos turbare solent, agitatus.

Toto vitae suae religiosae tempore singularis fuit in obedientiae virtute, quam tanti fecit Ignatius, ut potissimam esse tesseram familiae suae desideraret. Nec animo duntaxat promptissimo quodlibet Superiorum imperium exequebatur; verum et cum voluntate judicium

que-

quoque submittere, perantiquum illi fuit. In conscientiae scrupulis, aliisque internis fluctibus, quibus ob exaestuans perfectionis desiderium persaepe agitabatur, confestim adibat Superiorem, aut Sacerdotem sibi a confessionibus; quorum sententiae, nihil unquam dubitans, acquiescebat. Ea propter oppido diligenter curabat, domi habere Sacerdotem, cui conscientiae panderet recessus intimos, et quem in dubiis, atque angoribus, nulla facta mora, conveniret. Nullus illi erat intolerabilior cruciatus, quam si suo daretur arbitrio, rem agere, vel non agere; ut maxime in delitiis, quod omnino facere juberetur, nulla suae data voluntati electione. Neque propterea in obediendo defuit certamini locus: quippe non semel existimavit, Superioris vocem rationi adversari; tunc enimvero non queri, non alios in suo conspectu querentes pati, mirifice silere, imperium in meliorem partem accipere, nervos omnes intendere, ut nihil suum ab imperantis judicio discreparet. Convenit olim familiarem quemdam, consiliorum suorum participem, de re quadam interrogaturus, quam sane dubitabat, num propriae voluptatis, num pietatis impulsu desideraret? Quam cum alter, serio pensatis omnibus, obedientiae perfectioni non prorsus consentaneam opinaretur, nihil ultra opus habuit Joannes, ut ab se cogitationem rejiceret. Ac pari quidem studio suis Majoribus morem gerebat, sive voluntati suae duntaxat, sive valetudini etiam adversari crederet, quod ab illis praecipiebatur,

 aut

aut consilii tantum gratia pronuntiabatur. Anno Theologiae curriculi secundo cum ille Mexici vacaret, fuit benevolus quidam, qui a Provinciae Praeside veniam exoravit, ut, quandoquidem Joannes affectis esset, ac prostratis viribus, Angelopolim immigraret; ubi scilicet ante biennium saniori usus erat corporis habitudine. Verumtamen cum aeger odoraretur, id non probare Collegii sui Rectorem; summi Moderatoris permissu posthabito, Mexici remanere maluit, quantumvis aerem valetudini suae perniciosum esse intelligeret. Aegritudinis extremae diebus non semel accidit, Superiorem cum illo familiariter colloquentem dicere: *Juvaret te fortasse, si tali cibo, si tali medicamento utereris*. Vel ita suaviter proposita Majorum voluntas, audiebatur a Joanne propemodum instar imperii: proinde ut primum Socius, cujus curae commissus erat, ingrediebatur cubiculum, in haec infirmus erumpebat: *Videtur velle Superior, hoc me refici alimento, illam tentare medicinam*. Quod utique faciebat etiam in rebus illis, quae maxime cum palato pugnarent, et quas etiam longa doctus experientia suae corporis constitutioni minime accommodatas existimaret. Eadem mentis facilitate obtemperabat semper Medicis, valetudinarii Praefectis, aut quilibet esset alius, qui quocunque posset pacto videri Superior. Saepe tentavit Medicus voluntatem ejus rimari, priusquam medicamenta praescriberet; semper tamen infirmum audivit ad omnia paratum, quaecunque mallet jube-

bere. Fuit, qui Medici opinionem, audiente Joanne, impugnaret; ille tamen continuo respondit: *Atqui obediendum est Medico, si Societatis leges meminerimus*. Socius ille, qui Joanni in aegritudine ministrabat, cum somno bene dispositum quadam nocte illum videret; hortatus est, ut illico se se ad requiem capessendam, nihil aliis intentus, compararet. At, pius inquit aeger, quaedam sunt precationes, quibus nondum satisfeci. Et alter: Nihil hodie de istiusmodi. Obtemperavit confestim Joannes, duntaxat interrogans: *Num sibi liceret, audito horologii sonitu, Deiparam de more salutare?* Quod cum licere audiisset, totus hilaris ad captandum somnum incubuit. Plura id generis recenseri possent, tum quae vidi egomet, tum quae a Socio audivi, viro probo, atque integra fide, qui postremae infirmitatis tempore Joannis se dedit individuum administrum. Sed longissime procedere opus esset, si quae nobis reliquit hujus virtutis documenta, singillatim mandare posteritati vellemus. Id certum: extremis vitae quinque mensibus, nullam unquam diem, nullam ferme horam transiisse, quae sine linea esset eximio illi obedientiae cultori.

Societatis praescriptiones vel minimas accurata diligentia observavit. Atque id in causa, cur nunquam praetermiserit, quotidianae coelestium commentationi ad praestitutam horam incumbere, librum aliquem de divinis rebus evolvere, bis in die opera sua omnia, dicta, et cogitata, ad trutinam revocare. Qui-

bus rebus ne tempus fortasse deficeret, praeoccupabat causas avertere, quae possent in tempore occupationibus praefinito contingere. Propterea diluculum praeveniebat, ut demonstratum est, sacris illico exercitationibus vacaturus; noctuque statim a coena in cubiculum secedebat, (cum nimirum pro Superioribus liceret) tum ut postridie meditanda praelegeret, tum ut lacrimaretur in solitudine, siquas in exeunte die labeculas admisisset. Inquisitionem illam vitii in unoquolibet dominantis, quam Divus Ignatius maxime commendabat, ita constanter, et religiose observavit; ut paucis ante mortem horis commentariolum illud, in quo suos lapsus notabat, enixe flagitaverit. In quinque illis mensibus vitae suae postremis, pluries interrogatus est: Num cupedias aliquas maxime appeteret, quibus libenter, nisi morbo impediretur, palatum recrearet? Nunquam his datum ab illo responsum; quinimo turbatus illico vultus indicium erat animi ad talem interrogationem insigni affecti molestia. Suus autem ille administer cum id scrutari opportunum arbitraretur, quadam die vehementer institit in eodem inquirendo; ut tandem a pio infirmo haec audierit supplicia verba: *Equidem oppido te precor, quaecunque volueris, mihi porrige; nihil vero unquam perconteris de mea super istiusmodi rebus voluntate*. Cujus responsi cum causam alter postularet, in haec Joannes: *Quandoquidem infirmi etiam Ignatiana lege tenemur, qua nobismetipsis in rebus omnibus adversari imperamur. Atque*

id ir-

idcirco semel, et iterum amaras dedi lacrimas, quod similiter interrogatus anteactis temporibus, meam voluntatem aperuerim. Siluit cum admiratione Socius; neque tamen omnino destitit: nam aegroti fretus obedientia, Rectorem precatus est, ut Joannem blandis verbis hortaretur ad aperte significandum, in qua potissimum dape delectationem capesseret. Id cum Rector fecisset, ac denuo Socius ille infirmum convenisset: *Ecce me nimium agitatum*, inquit Joannes inter suspiria, et lacrimas, *ad Superioris praeceptum;* (hujus vel consilium ipsi praeceptum erat) *gravibus enim verbis hortatus est, ut propalam dicam, quidquid appetam manducare: cumque plura mibi occurrant, quae sane dubito, num reapse appetam, num tantummodo in mentem veniant; utique obediendi rationem non calleo.* Ad haec Socius, quo pacem turbato aegri animo restitueret, cum polliceretur, impetraturum se ab Superiore sive praecepti, sive consilii revocationem. *Id vero minime*, ait Joannes: *nolo enim, ultro oblatum obedientiae meritum effugere mibi e manibus; proinde satis erit, si Sacerdotem a confessionibus ad me afferas, a quo cum audierim, quomodo verba illa Rectoris intelligere debeam, tempestas baec intestina sedabitur.* Custodiebat sincera fidelitate legem illam, qua Socii jubebantur adire interdum Superiorem, pro violatis legibus poenam flagitaturi: quod certe agebat, non ut consuetudini satisfaceret, sed religiosa impulsus demissione, atque intimo dolore de lapsibus etiam illis, quibus nunquam non obnoxia est humana fragilitas. Non

Non quidem potuisset ad constantem hanc Societatis praescriptionum custodiam pervenire, nisi et corporis maceratione, et perpetua de animi motibus victoria suffultus. Utraque egregius a tenero, quamparcissime alebatur, et pene dixerim, vix quantum satis esset ad mortem arcendam; nihil unquam de ciborum delectu curans, nisi quod iis potissimum assuescere voluit, quos debili corporis constitutioni magis idoneos judicabat. Ad haec, sexta quaque feria, sabbatoque jejunium servabat: quem sane morem a pueritia inceptum, nisi aegritudine interveniente, nunquam abrumpere ausus est; quinimo piae isti consuetudini quasi sacramento constrictum credebat se se. Pluries macerabatur hac voluntaria inedia, quam instar purissimi flosculi offerebat ante solemnia Mariae Virginis, aliorumque Divorum, quos praecipuo cultu, et religione prosequebatur. In his diebus jejunio destinatis ita secum erat severus, ut, siquando ex familiaribus unus aliquis infirmae ipsius misertus valetudinis ad modicum invitaret jentaculum; aut fere nunquam; aut aegerrime obtineretur, id invitationis ab illo suscipi. Nullius unquam flectebatur precibus, ut, quanquam afflictus valetudine, carnes illis diebus gustaret, in quibus ab Ecclesia prohibentur: quod si Superior id facere ex potestate imperaret, eo frugi carnibus vescebatur, ut Rector idem de re monitus non semel jusserit, denuo illum refici statim a prandio. Cum puer adhuc grammaticae daret operam, jam assueverat

rat cilicio, et flagello corpusculum macerare: quam in semet austeritatem sane adauxit, postquam Societati nomen dedit. Id autem, ut caetera omnia, ne latum quidem unguem recedens a conscientiae Moderatoris consilio: a quo fraenari opus erat adolescentis fervorem; ne fracta morbis valetudo rueret omnino in deterius. Et hoc Joannes vehementissime lamentabatur, quod aegram corporis constitutionem sortitus, vacare non posset sibimet castigando ad flagrantissimi desiderii mensuram. Caeterum quantum de hoc demere cogebatur Moderatorum imperio, tantum in assidua cum affectibus animi luctatione semet vincere adlaborabat. Natura fuit praefervidus, atque ad iracundiam pronus; quam tamen adeo compressit, ut mutasse prorsus indolem videretur. Proinde in ejus vultu perquam raro comparuerunt irae motus, illi etiam, qui non ab animo conscio, sed ab ipsa natura sunt: blandus erat semper, in colloquio subridens, et cum obvio quolibet religiose hilaris, atque amoenus. Vi opus erat extrinsecus illata, quoties agebatur de quacunque ipsi procuranda commoditate. Bononiae cum angustum illi cubiculum obtigisset, quod quidem Sole percussum mane toto, aestivis mensibus habitari vix poterat; ex amicis quidam secreto impetravit ab alio familiari, ut pro fenestrae custodia lineum velum ultro Joanni largiretur. Quod accipere donum postquam ille diu restitit, iteratis tandem precibus cessit: neque vero ad veli usum devenit, nisi post novum cum amicis certamen,

et

Id profecto constitit, tremendo illo quatriduo Joannem enervatum omnino fuisse, ac viribus imminutum. Utique aegrotus ipse credidit, illud Medici praeceptum sibi esse mortis decretum; nihilo tamen secius vitam obtulit libentissime obedientiae victimam, secum tacite volvens illustre hac de re Lojolae documentum. Quidquid medicamenti nomine ipsi afferebatur, quanquam gravissimo esset odore, stomachumque moveret, ridenti sumebat vultu, quasi palati voluptatem satiaret; quin unquam indicium nauseae vel curiosi spectatores animadverterent. In diuturna illa aegritudine nullus ab eo gemitus prodibat; neque vero signa illa doloris, quae propemodum vitare non posse diceres etiam homines invicta patientia. Quod sane, cum acerbissimis vexaretur doloribus, prorsus mihi erat miraculo proximum. Et quam sibimet vim inferret, ut hanc afflictae naturae vocem comprimeret, inde compertum fuit maxime, quod inter dormiendum conqueri saepe audiebatur. Porro signum fere indubitatum habuimus, interitum ejus proxime imminere, cum debile vix interruptum lamentum auditum est, quod ille ultra non poterat cohibere. Haec Joannis in postremo agone patientia, quae ducebat originem a perpetua de internis motibus victoria, toto vitae cursu sibi constitit: nunquam enim vir ille a patiendo abstinuit, tum voluntaria suimet maceratione, tum internis a Deo immissis agitationibus, tum etiam infirmitatibus. Has inter gravibus pene semper afflictabatur ad ossa dolori-

loribus, qui feria quaque sexta, quasi facta periodo, increscebant: ut a me interdum rogatus; qui se haberet? unum ab illo audierim: *Feria sexta est*.

Plura superius commemorata satis declarant, quantus fuerit Joannes in colenda Fide. Ab hac virtute, quae in Christiani praecipuis est, egregia illa pietas erga Numen Eucharisticum descendebat. Assidua, protractaque ad longum tempus cum ipso Numine colloquia; fervens a pueritia consuetudo, nullo unquam tempore interrupta, ter in hebdomada reficiendi se dape coelesti; piae ipsius delitiae in ministrando facientibus ad Aras; incredibilis voluptas, constantiaque in Missa peragenda, postquam Sacerdos initiatus est; utique demonstrant affatim, ad excelsam in hac virtute perfectionem Rotericium devenisse. Mane quotidie longa, ut supra memoravimus, Divinarum rerum meditatione comparabat se ad hostiam Deo immolandam: cui Sacrificio cum dabat operam, ea erat sensuum custodia, pietatis fervore, ac mente ad rem intenta; ut sacri operis Fidem in adstantibus excitaret. Ne latum quidem unguem ab Ecclesiae legibus in hoc opere Divino faciendo discedebat: legebat assiduus, atque attenta cogitatione volvebat, quae scripsit hac de re Antonius Natalis, vir clarissima pietate. Ac sane, qui corda hominum scrutatur Deus, quadam ostenti specie manifestasse videtur, quam probaret ea fervidi sui Ministri sacrificia: nam cum diu, noctuque vehementissima

tussi

tussi ad nauseam usque concuteretur, nec nisi longo post tussim tempore, vires, et quietem recuperaret; nunquam plane accidit duobus totis mensibus, quibus in ea corporis valetudine offerre licuit sacram Hostiam, ut ad aras positum tussis impeteret. Qinimo Joannes ipse apud Medicum asseveravit, uno Missae tempore sibi ab hoste molestissimo tanquam inducias concedi. Atque hic omittendum non censeo, quod etiam prodigio simile plures credidimus. Tertio Kalendas Decembres cum domesticum sacellum sacrificaturus ingrederetur, adhuc omnino anceps, num de Corde Jesu, num de Maria Virgine Sacrum faceret; casu apertum in ara reperit sacrorum librum, in quem ubi vertit oculos, Missam conspicit ad impetrandam gratiam bene moriendi: et cum se intus repentino agi sentiret impulsu, singulari pietatis ardore voci obsecutus est, quam existimavit Divinam; et pro semet feliciter morituro coelestem libavit Hostiam, utique postremam; cum insequenti die ita jam graviter vires languescerent, ut ultra non datum illi sit ad aram accedere. Tres fere totos menses cubili prostratus, ac doloribus afflictus, protraxit adhuc difficillimam vitam; neque vero dies transivit ullus, quin Eucharistico cibo reficeretur: qua coelesti voluptate ne unquam ipse prohiberetur, orabat enixe Sacerdotem, cujus erat curae commissus, epistolam illam commemorans, qua Vincentius Carrafa, summus olim Societatis Magistratus, laudabat maxime, hac Divina dape recreari

que-

quotidie Sacerdotes, quos diuturnus morbus ad Sacrum faciendum impediret. Hocce desiderium quotidie mane suscipiendi Numen Eucharisticum, non modicam alias aegroto ipsi molestiam afferebat: quippe insomnes ut plurimum noctes cum ageret, ac levissima coena reficeretur, oppido affligebatur matutino languore: quod tamen corporis malum patientissime tolerabat, ne dies unquam illucesceret, in quo Divinum alimentum animo deficeret. Neque vero hac Jesu corporis praesentia matutina contentus, per diem saepius ardentia iterabat vota Jesum ipsum recipiendi; ut in eadem vota etiam a sensibus alienus proruperit supremis illis momentis, antequam ad Superos immigraret. Religiosam in Deo fiduciam eatenus innutriebat, ut statim a lectulo volaturum se ad beatam aeternitatem firmissime speraret, una Dei fretus misericordia; quam sibi praesto semper futuram nihil dubitans affirmabat, quidquid omnino esse posset, quo sive in animi, sive in corporis rebus indigeret. Atque inde quidem illa in Rotericio tranquilla constantia, sive aliquod periculum immineret, sive irrueret inopinata calamitas: quoniam de supremo securus auxilio, nec umbra quidem dubitationis aestuabat, quin ille ipse, qui tentationem immitteret, immissurus etiam esset cum tentatione proventum.

Charitate in Deum flagrabat ardentissima, quam abunde comprobat suum illud autographum, anno ante mortem exaratum: *Ambas*, ajebat, *manus tollerem, et maxima cum gratia-*

rum

rum actione venientem mortem susciperem: quandoquidem dissolvi cupio, atque ex corporis hujus carcere, ex hac mortali vita, ut malis, et angoribus, ita etiam plena inanitatibus, immigrare vehementer desidero. Oh tandem venisset illa dies! Quam esset mihi laeta, et jucunda! Etsi enim judicium timeo, malo tamen mori, totumque me Dei misericordiae committere. Neque hujusmodi desideria in illis annumeranda, quae ab inconstantis pietatis motu nasci videmus interdum; deinceps facile defervescunt, atque ad periculi aspectum languent omnino, desinunt, emoriuntur. Nihil ea Joannis voluntate constantius; quam sane palam fecit, cum primis morbi impeteretur accessionibus: tunc enim praeconceptum mortis desiderium eo increvit, ut comparenti Medico aperte dixerit: *Nullum profecto jucundius ad me verbum pronuntiaveris, quam si tandem aliquando a te audiam, istam mei corporis, et animi compagem quamcitissime dissolvendam.* Sed cum magno in pretio semper habuisset, alienam voluntatem, et judicium suis votis antehabere; cedendum duxit amicorum precibus, qui suadebant pro viribus, ut, praemisso Superiorum consensu, in Divi Xaverii honorem voti religione se obstringeret, in *Ethnicorum*, seu *Neophytorum* salute insudandi; si modo Xaverius ipsi vitam exoraret a Numine, ac Socii exules aliquando ad patriam revocarentur. Olim cum amico familiariter colloquens: eatenus, dixit, mortis desiderio aestuare se, quoniam maximopere vereretur, ne displi-

ceret Numini noxa vel levissima in Societatis praescriptiones. Et cum amicus blande illum erigere, ac roborare tentasset, ea plura commemorans, quae, inter mortales dum ageret, in Dei posset honorem efficere; Joannes illico: *Plus mihi est*, inquit, *ad mortis expetendum adventum, timor Dei offendendi vel unius praescriptionis violatione, quam officia quaecunque possem ipsi Numini praestare, ut propterea exoptem hujusce mortalitatis terminos mihi produci: quippe officia illa vel maxima Divinae Majestati sunt debita; unam autem legem si violavero, Divinae Sanctitati displiceo*. Ita quidem, objecit alter, cum de noxis loquaris, in quas libera proruimus voluntate; quas autem quasi deprehensi, atque abrepti naturae fragilitate committimus, utique bonus remittit, nec inde irascitur patientissimus Deus. *Atqui*, exclamat sincero animo Joannes, *hoc ego inter caetera Divinum recolo beneficium, ut leges nostras in mente omnes habeam, tanquam in praesentia legerem singulas: proinde quoties in ullius unquam violationem devenero, nihil certe communis naturae fragilitati, sed meae totum perversitati tribuendum*. Ea nimirum erat conscientiae integritate! Tam assiduo conatu in Ignatii legibus mente volvendis! Tam solicito placendi Numini desiderio in suis omnibus operibus, verbis, cogitatis! Attamen quanquam ea vota migrandi ex hac vita, sine dubio descenderent a perfectissimo Numinis amore, castoque, atque ingenuo timore, noxa vel minima dilectum offendendi; reperire ille potuit, quod Censor sui-

met

met perquam severus corrigeret: suspicari enim repente coepit, ac mirum in modum expavescere, ne praefervidum illud moriendi desiderium suam aliquantulum a Divina voluntate sejungeret. Hoc igitur agitatus timore, totis exinde adlaboravit viribus, ut, quidquid vel boni sperandum, vel mali metuendum foret; sua in neutram partem voluntas propenderet, sed aequo vultu ad eventus quoslibet, uni Dei adhaereret voluntati: quae hominis cum Numine conjunctio perinde in prosperis, atque adversis, fructus est charitatis pulcherrimus. Ac profecto supremis duobus vitae mensibus id unum a Numine postulabat, ut omnino de se ageret ad suae Divinae voluntatis arbitrium: idque sibi Deum precari efflagitabat a Sociis, qui de statu valetudinis quaesituri, ad ipsum accedebant. Semel, et iterum per eos dies interrogatus: Num mori cuperet? *Cupio*, respondebat, *si Deo placet; neutiquam, si Deo non placet*. Paucis ante mortem horis audivit Medicum sibi dicentem: Macte animo esto: proxima tibi est certaminis corona; mori jam desiderabis. *Ego vero*, inquit ille, (ac nervos intendit omnes, ut ingentem vocem emitteret) *nihil tale desidero; quin unum mihi in votis est, ut prorsus id eveniat, quod vitae, ac mortis Domino libuerit*. Egresso inde Medico, Sacerdotem lecto propinquum Joannes interrogavit: Nunquid adversus perfectissimam cum Dei voluntate conjunctionem esse posset, de instantis mortis notitia gaudere? Quod cum negaret ille, idque illu-

strium aliquot virorum exemplo roboraret: *Igitur*, moribundis jam labris ait aeger, *quoniam talis est Dei voluntas, equidem gaudeo*. Rogatus etiam: Num speraret in coelum conscendere, quin per ignem animas expiantem transiret? *Tale*, inquit, *spero a Misericorde juxta, atque Omnipotente meo Judice; quod si tamen voluntas est Numinis, me ad tempus igne torqueri; hoc potius eligo, et jucundius mihi futurum testor, quam ad aeternas delitias protinus advolare*. Ita per totum illum bimensem in dolorum accessionibus frequentissima erat in ejus ore vox illa: *Fiat voluntas Dei*: et siquis amicorum, tot ipsius cruciatuum testis, moerorem significaret: *Ergo ne*, ajebat, *ego ex Dei voluntate patior; et tu tristaberis?*

Haec Dei charitas, virtutum omnium maxima, cum consistere firma non possit, nisi in homines redundet; hos utique amore prosequebatur; et quaqua potuit ratione, cuilibet auxilium praestare nihil gravabatur. Damnum dixerim Mexicanis lugendum, quod Joanni ob aetatem non licuerit ad exercenda Societatis ministeria devenire: qua enim charitate hominum flagrabat, nullam sibi requiem dedisset, nullum certe novisset terminum, in salute animorum procuranda. Et quoad licuit homini sacris non initiato, satis apertum fecit, quam eximius in eo ministerio futurus esset, si et diuturnior illi vita, et feliciora tempora contigissent. Mexici cum Theologiae operam daret, vita functum audivit hominem, aut cognatione, nescio, aut
alia

alia quavis causa sibi conjunctum: cujus cum extremam inopiam probe nosceret, ac duas insuper defuncti filias omni humano destitutas auxilio; illico, urgente viscera charitate, operae pretium duxit, tum cadaver terrae mandare, tum de miseris puellis aliquo pacto alendis providere. Ac primum quidem ingentem consecutus victoriam de indito sibi a natura pudore, per Coenobitarum aliquot familias, perque opulentos viros cursitans; quantum satis fuit ad mediocris pompae funus, argentum emendicavit. Inde nulli parcens diligentiae, nec infimis etiam precibus, tenellas eas virgines ita honeste collocare adeptus est; ut in re tum christiana, tum civili optimam institutionem habuerint. Nihil dissimilibus, aut etiam majoribus difficultatibus interritam frontem opposuit, ut suis geminis opem ferret sororibus; quae Parentibus orbae, atque in magna egestate, ac periculo derelictae; hinc, atque hinc tentante Joanne, ad Sanctimonialium tandem coenobium Mexici confugere. In istiusmodi facinoribus, quae suapte natura difficilia, incredibiliter ardua erant pro juvenis verecunda cunctatione; ita fuit tamen ingenio promptus, in cogitando industrius, in exequendo facilis, ut longa edoctus experientia in iis tractandis videretur. Ille nimirum hominum amor mirifica suppeditabat ejus menti lumina, vigorem, prudentiam, quae dotes erant aetati suae superiores omnino. Idem amor, et solicitum studium conferendi operam suam ad animorum salutem, quantum sui status

conditio patiebatur; eo fervoris Rotericium compulit, ut quamsaepissime offerret se Socium Michaeli Castillo, qui praeclara pietate notus Mexici Orator, feriatis omnibus diebus Verbum Dei per urbis compita dispensabat. Et tunc Joannes in quadriviis, plateisve, prout locus destinabatur, nulla valetudinis habita ratione, circumstantem populi multitudinem in rebus christianis erudiebat tanto orationis impetu, eaque tum in gestu, tum in sententiis pietate, ut pluries in lacrimas, atque ingentia suspiria ruerent, qui frigidi ad audiendum convenerant.

Tam egregiis instructus virtutibus adversus humani generis hostem in tota mortali peregrinatione pugnaverat, cum ad diem tandem venit tertium Kalendas Martias, dolorum quidem, et exilii postremum; primum, ut credimus, debitae sibi coronae in beata aeternitate. Illa Fidei, spei, charitatis, obedientiae, aliarumque virtutum exempla, quae quinque potissimum aegritudinis mensibus creberrima dedit; supremis illis horis ad gradum sublimiorem increscere visa sunt. Ante duos menses cum, ut alias demonstratum est, sacramenti religione se obstringeret in Divi Xaverii honorem; repentinus timor illum invasit, ne mortalis vitae amor id sibi agenti subrepsisset: propterea Xaverium eundem oravit, ut si mori tunc expediret, id sibi a Numine impetraret, ac febres aliquas, aut tale quidpiam, tanquam gratiae comparatae signum, praemitteret. Confestim supervenere febres; atque inde Joannes cum mortem sibi cre-

deret

deret imminere ; nihil cunctatus ab amico supplex efflagitavit, ut erecta voce vellet legere, quae Antonius Natalis in aureo suo libro, cui titulus *De coelesti conversatione*, pro moribundorum auxilio praelis commisit. Ac tum patuit, quam illi frequens esset ejusmodi lectionis exercitium, quod alii lugubre nimis arbitrantur, fugiuntque instar toxici mortem maturaturi : nam cum amicus inter legendum vacillaret interdum, summa cum fide Joannes corrigebat, quasi reapse subjectum oculis librum haberet. Accurata intentione audiebat quotidie Socium Divina legentem ; quod siquando hic aliis distineretur occupationibus, ferventissima de coelestibus colloquia substituebat Joannes cum illis, qui aegrum se visitaturi confluebant. Quidquid diei supererat, satis occupabatur precationibus plurimis, nullo unquam casu intermissis ; quas inter praecipuum habebat locum salutatio Angelica centum quinquagies numerata. Die ante mortis pervigilium cum, increscente languore, pene confici videretur, imperatum illi fuit a valetudinis administro, ut ab his precibus abstineret; cumque post paucum tempus ipsis vacantem illum Socius ipse reperiret, blandeque argueret de violato imperio : *Ast ego*, inquit, *credideram*, *quotidianam precationem mibi vetitam*, *cujus tertiam duntaxat partem numerare animus modo erat*: *banc etiam abrumpam*, *si jusseris*. Jussit ille, continuoque infirmus obedivit. Postero tamen die, ne tale quippiam contingeret, matutino tempore praevertit, pio illi exercitio intendere. Tertio

 de-

demum Kalendas Martias, vix diluculo, administratae illi sunt consuetae pro efflantibus animam religiones; ipso interea sui compote, singularique constantia, et mira pietate ad Ecclesiae preces respondente. Inde, intermittente proximitate periculi, cum de sibi deferendo aeternitatis viatico moneretur, enixe precatus est, ut ad horae dimidium, nullo prorsus arbitro, solus relinqueretur, quo se ad tanti hospitis adventum compararet. Hoc suscepto, Jesu cruci affixi postulavit simulacrum; quod pectori prius appositum, ad os interdum admovebat, et suavissima voluptate deosculabatur. Tota subinde die non cessavit a ferventissimo amore, nunc in Deum, nunc in Jesum Christum, nunc in Virginum Reginam conversus: ingeminabat opera Fidei, et christianae fiduciae, gratiarum actiones pro tot sibi collatis beneficiis, vota moriendi, et se tandem aliquando cum Numine copulandi: ad quae quidem omnia eo vegetam vocem extollebat, ut qui solummodo audiret, a proxime morituro emissam non crederet. Audiebat oppido attentus, quae propinqui suggerebant Sacerdotes; eaque nonnunquam, erumpentibus ab aestuante corde ignitis affectibus, amplificaturus interpellabat. Mariae Virginis imaginem, quam longe a cervicali nunquam passus est, dulcissima pietate suaviabatur. Cum familiari colloquens, praevenit ea verba, quibus roborari praeoptaret, jamjam animam emissurus; quae profecto cum sibi fuissent in vitae angustiis usitata, in postremo agone suavitatem

alla-

allatura merito sperabat. Talia erant: *Fiat, Domine, voluntas tua; Qui salvandos salvas gratis, salva me, fons pietatis;* idque generis alia Dei misericordiam implorantia. Sub dimidiam vesperam accessio morbi supervenit, a qua paululum recreatus, flagrantia vota significavit Jesum in Eucharistia suscipiendi. Cui desiderio cum satisfieri non posset, quoniam mane idem Numen pro viatico sumpsisset; suasit Sacerdos lecto proximus, ut votis exciperet hospitem, quem praesentem corpore habere non poterat. Utique nova concepit desideria reficiendi se dape Eucharistica; et paulo post cum januam cubiculi reserari sentiret, ratus illico voti se compotem: *Ecce*, inquit, *ad me venit Dominus meus*. Et hoc unum in diuturna infirmitate pii moribundi deliramentum. Post modicam intercapedinem, cum se ad interitum festinare intelligeret, candelam pro mortis hora sacram, et morientis Jesu simulacrum admoveri ad se postulavit: quod simulacrum cum continuo admoverent, ille, qua potuit, vires erigens, caput detexit in Jesu reverentiam; quod tamen denuo cooperuit, valetudinis administro imperante. Hora post meridiem sexta, gravissimo ad stomachum dolore urgeri coepit; pro quo sedando, cum alimentum porrigeretur, egregio sumpsit vigore. Postmodum interrogatus: Num vis doloris remitteret aliquantulum? *Modo*, inquit, *remittet omnino*. Atque ita quidem accidit: nam, cum a piis iterandis affectibus non desisteret, post partem horae trigesimam animadversum

est,

est, vocem sensim intercludi faucibus; ac paulo tandem post Sociorum corona redimitus, qui et postremo luctantem religiosis verbis muniebant, et pro felici ejus precabantur transitu; cum ea legerentur: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, suavissime quiescens, ad aeternitatis gaudia, ut credimus, advolavit; cum aetatis annum duodetrigesimum, et mensem septimum adimplesset. Fuere ex illic adstantibus, qui temperare sibi non potuerunt a cadaveris pedibus deosculandis. In sarcophago corpori admota fuit ampulla vitrea cum scripto, quod testimonio esset posteris, quanto ille vixerit apud Socios aequales in odore sanctitatis. Ejusmodi autem erat scriptum: *Joannes Rotericius Societatis Jesu, Mexicanus, omnium regularum observantia apprime clarus: excelluit Charitate erga Deum, Paupertate, Castitate, Obedientia, et mira mansuetudine: Obiit Bononiae III. Kalendas Martii, anno Domini MDCCLXXI. Quiescit ad Sancti Proculi.*

DIO-

DIONYSIUS PEREZIUS.

ANimus perpetuo gratus Mexicanorum exulum, eorum praesertim, quos plus viginti retro annis Italia suscepit juvenes; luget etiamnunc, et sine dubio lugebit, dum supererit vel unus, Dionysium Perezium, ante septemdecim annos vita functum: cujus ut mansueta charitas ad plures annos fuerat egenorum subsidium, ita et aliae virtutes animi consummatae perfectionis exemplar. Veracrux, quam alibi demonstravimus feracem esse urbem hominum clarorum et pietate, et doctrina, patria fuit Dionysio; qui septimo Idus Octobres, anno saeculi currentis primo, et trigesimo natus est. Parentes habuit Thomam Perezium, et Joannam Diaziam Escobariam; illum equestri, ac pervetusto exortum genere in Fano Luciferi, hanc aeque nobili ad Veracrucenses familia. Matrimonio copulati sunt Thomas, et Joanna, fortunae quidem bonis non admodum copiosi: viro autem actuosa erat sedulitas, et mirifica honestas; ingenti maturitate judicium foeminam exornabat. Quibus profecto naturae dotibus cum castum Numinis timorem superadderent conjuges; divitiarum dono meruerunt abunde cumulari. Has autem cum eatenus apud se depositas ab Supremo rerum largitore Thomas intelligeret, partim ut sibi, ac rei do-

me-

mesticae consuleret, partim ut religiose erogaret; benefica liberalitate fluebant ab ejus manibus pecuniae, ut in ipsius Numinis, ac Mariae Virginis cultum, ita etiam in egenorum subsidium. Ac satis, quoad vixit, experimento probavit, impendio Deum reddere beneficis, quod charitatis nomine largiuntur indigentibus. Uxor interea, quae nullas unquam cum otio faciebat inducias, tota erat in educandis liberis christiana inprimis institutione. Facilis patiebatur, joculis id aetatis ipsos recreari; dummodo tamen domi essent, nec alienis pueris immiscerentur: unde nimirum in illibatam aetatem serpere immature solet malitiae contagio. Atque ita demum consecuta est, ut tres mares, ac binae foeminae, quos Thomae peperit, optimis moribus adolescerent. Angela, foeminarum natu grandior, equestri, ac pio viro nupsit; a quo plurium filiorum facta Mater, vidua tandem, in Angelopolitano Sanctae Monicae Coenobio Jesu se sponsam consecravit, bonoque virtutum nomine diem obiit. Altera, cui nomen Anna, jam a viridi juventute castimoniam Deo vovit inter primas illas Virgines, quae novum Divae Theresiae Coenobium Angelopoli fundavere: superest adhuc, ad Sanctimoniales illas religiosae perfectionis exemplar. Mares Joanna peperit, Thomam, Dionysium, Sebastianum; quorum postremus matrimonio conjunctus Joachimae Callejae, clari sanguinis Veracrucensi, Pereziorum genus perpetuavit: duo primi Societati nomen dederunt a teneris. Ho-

rum

rum Dionysius, natu minor, innocentissimis moribus Angeli nomen sibi a pueritia comparavit. Nulla in illo apparebant malorum indicia; in quae mala, prius etiam quam illuxerit homini boni, et mali cognitio, propendere interdum videtur humana mortalitas. In unum, quod bonum, et honestum est, ferebatur Dionysius; nec alia voluptate capiebatur, nec in alios usus impendere noverat, quidquid pecuniarum a Parentibus accipiebat, nisi in sacris imaginibus coemendis, parvulisque altaribus operosa sedulitate construendis. Perquamgratum juveni erat, in suis arulis illas imitari caerimonias, quibus ad sacras Aedes cultum Numini Sacerdotes tribuere animadverterat. Quo in officio ita erat totus intentus, atque ad modestiam conformatus, ut omnino vaticinari videretur egregiam illam reverentiam, et mysteriorum fidem, quibus postmodum ornabat se se, quoties Dei Minister ad altaria comparebat. Et comitabatur Sebastianus in hac Sacrorum imitatione Dionysium; nunquam tamen non egit hic personam Sacerdotis, ille administri. Nobilis quaedam in vultu comitas, in verbis urbana suavitas, mira in officiis cuicunque praestandis alacritas, modesta et gravis hilaritas, eximiae fuere dotes, quibus ut maturum aetate, sic etiam juvenem, imo et puerum Dionysium natura exornavit. Atque id liquido constitit, et a Parentibus, et a domesticis, et ab iis omnibus, quibuscum vel ad paucum tempus egit, benevolentiam sibi toto vitae cursu meruisse. Hanc

natu-

naturae amabilitatem oppido decorabat non mediocris ingenii perspicacitas; quae tum puerilem adaugebat leporem, tum spei locum dabat ad maxima de tantis dotibus praesagienda.

Hac magna spe laeti Parentes, quamprimum decrevere, puerum in grammaticis erudiri. Et quidem quo toto tempore his navavit operam, ejus in studio sedulitati adjuncta ipsorum Parentum vigilantia, et Magistrorum industria uberrimos collegere fructus, fuitque Dionysius non mediocri adauctus laude in latinis elementis; quin a pristina innocentia, ingenuaque morum disciplina deficeret. Interea tempus advenerat, quo pro philosophicis cognitionibus a patria discederet: et quanquam aegre ferrent Parentes, dulcissimum filium ab se avelli, Mexicum tamen immiserunt in percelebre Divi Ildephonsi Seminarium. Magistrum habuit Nicolaum Pezam, quem suo loco laudabimus; cujus operosa in docendo pueros diligentia maximum fuit adjumentum pro litterario Dionysii profectu. Et juvenis quidem diem totum insumebat in Magistri dictatis evolvendis, totumque ingenii conatum ad eorum intelligentiam adhibebat. Hujus triennii philosophici tempore, bis comparuit in litteraria palaestra, publice theses propugnaturus; quibus et laudes tunc meruit; et, confecto curriculo, a Peza judicium ferente de suorum auditorum profectu, inter eos ingenii non vulgaris Dionysius relatus est. Neque vero ingenium excolere praecipua erat juvenis cura; sed qualem seminario intulerat

ani-

animum, modestum, ingenuum, obstrictum famulatui Numinis; talem ibi servare posse, procedente aetate, atque ingruentibus innocentiae periculis. Nemo erit ullus, qui nesciat, ubi plures convenerint, aetate pares adolescentes, plures quidem reperiri bonae indolis, et pietatis religionibus deditos; nonnullos tamen esse, qui et verbis, et factis alios ad praecipitium invitant, cohortantur, impellunt. Dionysius mira erat jam ab illis exordiis perspicacia in iis fugiendis, quorum contagio posset mores ejus intaminatos corrumpere; ut in optanda illorum familiaritate, quorum modesta indoles, et Christiano dignus pudor, pietatis esset incitamentum. Frequens erat ad Sacram Poenitentiam, in qua expiabat animum a labeculis illis, quibus omnino soluta mortalitas nunquam est; frequens etiam ad se reficiendum Eucharistico edulio. Quibus profecto adjumentis eo erat emendatissimae vitae fastigio, ut luculentum habeamus testimonium Sacerdotis, apud quem errata sua deferebat: *Equidem*, ajebat ille, *toto triennio, quo philosophiae navavit operam, audivi Dionysium Perezium in arcanis Poenitentiae, quo nimirum tempore periculis refertos aetatis annos a quintodecimo ad duodevicesimum ille numerabat: neque vero dubito, quin toto illo triennio immunis fuerit ab omni vel umbra criminis, nedum gravis, verum et levis, quod perfecta mali cognitione admiserit. Et sane, quod admirabili puritate, atque innocentia transegerit annos illos, cum pericula pullulant, quocunque te verteris; argu-*

gumentum mihi est, nec ante illos annos conscientiam maculasse Dionysium noxa gravi, nec certe in subsequentibus; quibus liquido constat, quanta nobis dederit praecelsae sanctimoniae documenta.

Clauso philosophiae cursu, confestim auspicatus est religiosum stadium, Societatis tironibus annumeratus in Tepotzotlanensi Collegio pridie Idus Majas, anno 1749, aetatis suae duodevicesimo. Affabilem, modestum, facile, ac lubenter de Divinis loquentem, studio macerationis deditum, comparandis virtutibus intentum, quae fervidum tironem constituunt, sibi vacantem, nec unquam alienae vitae Aristarchum, describunt nobis Perezium, qui cum illo Novitii fuerunt; et praeterea testantur, quod laudis est non vulgaris: in illa pietati consecrata domo habitum fere fuisse in singulare, atque omnibus mirabile pietatis exemplar; et perpetuis incrementis ad biennii terminum processisse. Idibus Majis emittere vota debuisset, quae simplicia vocabantur; cum autem postridie Idus, Divi Joannis Nepomuceni solemnia in illis locis celebrarentur, suam Numini per vota consecrationem in hunc diem transferri, a Superiore postulavit, et obtinuit. Erat enim jam ab ea aetate suavissimo in Nepomucenum amore; cui nimirum commendaverat tum boni sui nominis tutelam, tum etiam linguae suae gubernationem; ne fortasse in syrtes, quae plurimae latent in humana consuetudine, imprudens offenderet. Emissis ergo votis, ad studia humanitatis transivit in eodem Collegio; atque in-

inde, post sesquiannum fere, ad repetendam philosophiam in Angelopolitano Divi Ildephonsi. Datis ibi ad annum alterum, praematuri judicii, aliarumque plurium virtutum non levibus indiciis; grammaticae Magister ad Guanasuatenses appellatur. Plura quidem hoc munus comitabantur pericula, tum a florida Magistrorum aetate, tum ab ingenti vitae mutatione: nam ab arctissima disciplina transibant ad Magisterii theatrum; ubi et novis rebus intenti, mente distrahebantur in profana; et ratione officii cogebantur ad frequentiorem cum externis, et viris, et foeminis, verborum consuetudinem. Praenovit Dionysius ejusmodi periculorum magnitudinem, atque iis propterea se praemunivit armis, quibus facile posset sibi polliceri victoriam: etenim mane statim a lecto, nunquam non impendebat horam in Divinis meditationibus; bis quotidie facta sua, verba, et cogitata, rigidus in semet Censor dispiciebat; praestitutum in Societate quotidianae de sacris rebus lectioni tempus nunquam praeteribat; ter in hebdomade tergebat animum poenitentia, quem Eucharistica dape subinde roborabat. Atque is demum erat in rebus omnibus pietatis, quo toto tempore grammaticam tradidit, ut pene videretur Magisterium illi fuisse alterum tirocinium. Cum externis eatenus agebat, quoad res exigeret; in eoque commercio, mirabili jamtum dexteritate visus est, ut sermones quoslibet sensim detorqueret in animorum emolumentum. Ut erat humanitate inprimis ornatus, non recusabat

Socios comitari, qui vellent externos in ipsorum aedibus convenire: hos etiam ipse suamet sponte conveniebat; cum identidem, id omittens, timeret inurbanus videri. Et certe apud omnes, potissimum vero apud foeminas, eam in colloquendo affabilitatem castae, ac circumspectae gravitati miscebat; ut qua benevolentiam, qua venerationem sibi ab omnibus conciliaret. Ludo litterario intererat fidelissimus, et bonam suorum alumnorum institutionem totis conatibus procurabat. Indefessa sedulitate adlaborabat pro latinis elementis ad illius aetatis captum enucleandis; maxime vero pro conformandis puerorum animis ad Christianos mores: pro quo sane adhibebat sacras in schola lectiones, ferventissimas cohortationes, atque illibatissimae suae vitae quotidianum exemplum. Is nimirum praecipuus illi erat scopus, ut injiceret, quantum profundissime valeret, teneris illis mentibus castum Dei timorem; qui profecto timor unus esse potest verae sapientiae fundamentum. Ita demum uberrimos tantae defatigationis fructus obtinuit; cum plures habuerit auditores, qui floruere postmodum litteris, et pietate. Necnon sibi promeruit hoc eodem tempore ut a Guanasuatensibus omnibus ingentem venerationem, ita etiam a domesticis nomen optimi juvenis, quem supra aetatem merita exornabant. Qua sane ductus opinione Socius quidam, Dionysio contubernalis, cum alterius urbis Magistro colloquens, haec asseruit: *Dionysius Perezius praematuro judicio est, atque eximiis virtutibus;*

tibus ; nec certe dubito , quin olim maximi honori sit Mexicanae Provinciae , atque expectationi satisfaciat , quocunque in munere collocetur . Tanti quidem aestimabatur Dionysius , cum vix illucescebat illa excellentium virtutum universitas ; quam , procedentibus annis , cum stupore demirabamur !

A Magisterii biennio Mexicum contendit , Theologiae condiscendae daturus operam in Divorum Petri , et Pauli Collegio . Et hic existimavit omnino sibi necessarium , ut magis , magisque intenderet pietati conservandae , quo eodem tempore mentem distrahebat ad litteras : quarum studium ne sibi esset in pietatis perniciem , finem studendi sibi proposuit , non ut genio , aut innatae sciendi libidini satisfaceret ; sed ut Ignatianis legibus obediret , ut voluntatem Dei assequeretur , ut mentem suam formaret ad desudandum olim in Divinam gloriam , ut aliquando paratus inveniretur ad universa munera in animorum salutem . Ita elevata semper in Deum mente , ac Divina respiciens , dum litteris vacabat ; nihil toto illo tempore ab egregiis virtutibus in tirocinio comparatis ; nihil etiam a fidelissima praescriptionum observantia defecit . Socius quidam primi nominis et doctrina , et virtutibus , et gravitate , qui fere ad ipsum triennium in Theologicis rebus Dionysium habuit auditorem , haec postmodum asseverabat : *Nunquam non suspexi in hoc adolescente verum , et germanum Ignatii filium , qui ea comparebat sedulitate in domestica disciplina , et Societatis le-*

gum custodia, ut nunquam ab illo factum viderim, aut verbum audierim, quod omnino non deceret religiosissimum quemque, ac dignitate gravissimum virum: quo certe factum est, ut ab eximiis virtutibus praegrandem de se opinionem excitarit in numerosa inibi confluenee juventute; atque in aliis aetate, ac munere majoribus venerationem non modicam. Pro primo Theologiae anno creatus fuit aedituus domestici Sacrarii, cui nomen a Divo Ignatio: quod item munus pro secundo anno perpetuatum illi fuit in Sacello altero, quod dicatum erat Immaculato Conceptui Mariae Virginis. Utrobique fomentum pietati suae reperit in accurata diligentia, qua sui muneris partes omnes implere conatus est; ac validius confirmavit animum in tenerrimis officiis, quibus Deiparam, et Ignatium prosequebatur. Nec modice Dionysium recreabat in Ara Virginis curanda, quod forte fortuna perhibebatur, neminem adhuc ejusdem Sacelli aedituum e Societate dejectum fuisse. Quam fuerit Superioribus acceptus ea Theologiae studiorum tempestate, plane patuit, cum anni secundi initio ad officium destinatus est, quod vocabulo domestico *Subministerium* appellabatur. Munus id erat, quod consequebantur nonnulla incommoda, et a diversarum rerum administratione plura in charitatis perfectionem pericula: eaque propter cum ad illud non censeretur idoneus, nisi qui alias inter virtutes prudentia, et mansuetudine potissimum emineret; Dionysius appellatus est, atque obedienter, ut solebat, offi-

officii possessionem adivit. Sed longo annorum usu abierat in consuetudinem, ut munus illud conferretur uni alicui ex iis, qui annum Theologiae tertium numerabant: quamobrem, pensatis omnibus, ne videretur injuria fieri tertium annum agentibus, ad quos longo possessionis jure subministerium spectabat; ipse Moderator, qui Dionysium extulerat, a munere deturbandum esse constituit, atque imperavit. Sed is erat juvenis, qui qua vultus tranquillitate officium assumpserat, eadem et tunc deposuit, et post annum resumpsit ex ejusdem Superioris imperio. Et sane in praedicta rerum administratione, nihil Dionysio comius, nihil aequius, nihil ad justitiam tuendam, et fovendam charitatem accommodatius. Nunquam non erat solicitus, atque alacriter promptus ad officii sui partes: quae tametsi essent interdum ex odioso genere; in ore vero Dionysii nunquam desiderabatur humana urbanitas. Et certe videbatur suavissimus juvenis ita totus esse in charitate cum Sociis, ut omnino nesciret aut agere, aut loqui, aut pene cogitare, nisi ad hujus virtutis terminos prolatandos. Egregium id generis documentum per eosdem annos posteritati reliquit. Quotannis pro Christi natalitii solemnibus ad amoeniores Musas vocabantur Socii, qui Theologicis vacabant; et datis argumentis pluribus de nascente in humanis Deo, latine, atque hispanice, variis metris jubebantur concinere. Duo insuper designabantur ex eorumdem coetu, qui post lecta publice ab unoquolibet sua

carmina, longiuscule dicerent de auditis auctoribus: primus, qui laudaret ex merito; alter, qui vitia poetica severe carperet. Hoc postremum obtigit Dionysio, quod erat sane quamdifficile, ac spinosum: cum ita simus natura comparati mortales, ut alienum judicium de nostrae mentis partubus aegre quidem ab Superiore, ab aequali vero fere intoleranter audiamus; et censura, nisi omnino faveat, semper videatur nobis, ut olim Juvenali, *dare veniam corvis, vexare columbas*. Dionysius autem rationem excogitavit officio satisfaciendi, quin ulli displiceret: peccantia enim carmina censoria dignitate reprehendit; auctorum tamen nominibus pepercit: sales urbanos, modestas facetias, atque arguta dicta, hinc atque hinc disseminavit, nullo in homines aculeo; et manifestum fecit, absonam fuisse illorum opinionem, qui crediderunt, leporem nescire ingeniosum esse, nisi pupugerit. Verbo quidem, is fuit Dionysius in suo scribendo judicio, calamum ducente charitate; ut tum a modestia, tum a lepore posteris abierit in exemplar, primusque induxerit consuetudinem in ejusmodi censuris, hominum silendi nomina, quorum errata carpebantur.

Post annum Theologiae tertium, Sacerdotis dignitate auctus est ab Emmanuele Roxio, designato ad Manilenses Pontifice; ac modico dierum intervallo, primam Hostiam ingenti fervore ad Aram obtulit. Per id etiam temporis, ex eorum coetu, qui quartum studiorum annum

in-

inchoabant, quatuor destinabantur, quorum excelluerat meritum, ad theses diem totum in theatro litterario publice defendendas. Obtigit Dionysio praemium in Angelopolitano Divi Ildephonsi Collegio, ubi novem ipsos menses paravit se ad illum diem non tam honore clarum, quam negotio plenum, et molestum; in quo tamen certare visae sunt doctrina, et modestia, utra utram in propugnante antecelleret. Profecto ab utraque fuit laudatus, et plausibus exceptus in numeroso litteratorum conventu. Neque vero, dum sedulam operam huic studio dederat, vacuus omnino fuerat a laborioso Confessionum ministerio: plures enim erant, qui aures ab eo petebant, expiaturi crimina. Nulli certe se negabat; verum destinatus ad theses, non illam poterat sublevandis animis assiduitatem praestare, quam ejus fervor postulavisset. Tertio inde probatus de more in rebus pietatis, Mexicum revocatur ad operosam defatigationem in domo Professorum. Biennium ibi exegit indefessus operarius, atque omni alia cura jam solutus, nullum ingenti suo fervori modum adhibuit in salute animorum procuranda. Demonstravimus alibi, pene incredibiliter adlaborasse, ac desudasse Socios, illam domum incolentes, quorum erat muneris vacare tum intra domesticos parietes, tum per urbem amplissimam, et sacris orationibus, et omnis ordinis, et sexus confessionibus, et rudis populi Christianae institutioni, et moribundorum auxilio, et in custodiis vinctorum solatio. Hic ergo ab ejusmodi

narratione abstinebimus, quoniam novitate jam carent; et renovata opusculum onerarent, nec historiae lumen afferrent. Id enimvero liquidum ex plurium testimonio: Dionysium eo biennio ingentem operam praestitisse illius domus ministeriis omnibus, a quibus erat uberrimus fructus in bonum Mexicanorum; ac pari gressu cucurrisse in animi sui perfectionem, et spectatissimam Sanctimoniam. A quo certe labore immensi ponderis ille nunquam cessasset, nisi coactus fuisset a Summo Provinciae Moderatore, honores inire Magisterii.

Desiderabatur Guanasuati, quae urbs est incolis frequentissima, philosophiae Magister: prius enim quicunque vellent his artibus excoli suos liberos, non levi et impendio, et incommodo, debebant illos extra patriam sustentare. Missus est, qui primus hanc scientiam ibi traderet, Dionysius Perezius, ante annos aliquot ibidem notus, et civibus acceptus inprimis ob egregias dotes, quas in illo demirati sunt, quo tempore praefuit grammaticae gymnasio. Sed exoriebantur difficultates in novum Magisterium; palam negabatur a nonnullis utilitas, qui civitatem illam minime idoneum credebant Minervae receptaculum: quanquam enim et conferta numerosis incolis, et ornata nobilissimis familiis, et foecunda praeclaris ingeniis, et opulenta maxime haberetur; at ajebant, cum maxima civium pars in argenti fodinarum laboribus, commerciisque tota sit, fere negligit pretiosiorem culturam, quae mentem, principem hominis par-

partem, doctrinis expolit; proindeque ad capitum proportionem, paucissimi sunt illi, qui devoventur a pueris amoenitati litterarum. Quam parvo rationis pondere obstinamus animis interdum mortales, ad nova humani generis emolumenta oppugnanda! Nimirum ignorantiae tenebris Roma jacuisset aeternum obruta, si diuturno tempore praestitae fuissent aures quibusdam aut nimium timidis, aut in suo sensu defendendo pertinacibus. Dum ita in contraria studia scinduntur partes, dum responsum expectatur a Supremo Provinciae Magistratu, quem propensurum ad revocationem Magisterii, fere nemini dubium erat; unus Dionysius, cujus id maxime interesse debuisset, nullis favebat partibus, atque in tranquillissimo silentio iis conscribendis adlaborabat, quae dictaret olim, si forte imperaretur, philosophiam, cui destinatus fuerat, auspicari: et interea quidem nullibi voluntas ejus inclinabat, plane comparata ad utrumlibet, sive primum confirmare imperium, sive illud revocare, Superiori placuisset. Difficillima profecto, et dupliciter operosa provincia est, cum desudamus omnino incerti, num labores nostri futuri sint alicujus utilitati. Sed is erat in obediendo Dionysius, ut non ab operis exitu, sed a prompta voluntate dimetiretur obedientiae perfectionem. Venit tandem a Provinciae Praeside imperium, ut nihil a dudum constituto immutaretur, et quo tempore studia solebant instaurari pro grammaticis, philosophiae curriculo daretur initium. Sed plures adolescentes, quorum

Pa-

Parentibus permolestum fuerat, opperiri concertationis exitum; alio immigraverant, philosophicis cognitionibus erudiendi: atque ea propter Dionysio philosophiam inchoanti quindecim fuere duntaxat auditores, ii que fere omnes ex humilioris, et pauperrimae conditionis hominibus; qui nimirum, ut studio vacarent interdiu, victum sibi lucubrationibus quaeritabant. Ad haec, supervenit per eos dies fatale malum contagionis, a qua fuit non modica studiorum intermissio: et quanquam bini ex auditoribus in medio cursu diem clauserint supremum, tertiusque ab instituto defecerit; reliqui tamen duodecim, ut pro aetate, ac rebus calamitosis, progressus fecere non leves: nec in ea paucitate desideratus est pro novae palaestrae litteraria gloria ille thesium numerus, quas ubilibet solebant propugnare Magistri, ut suam in docendo industriam, et discipulorum in studendo accurationem probarent.

Id autem eo magis mirabere, quo vitam ejus quotidianam attentius consideres. Mane statim ab sacris meditationibus, quibus totam dabat horam fervidissimus, ad Aram faciebat; et gratiis peractis hospiti Divino, quem in suo sinu susceperat, recta contendebat ad sacrae poenitentiae tribunal, ubi expectabant hominem certatim volentes conscientiam tergere: nec inde avellebatur, nisi post duarum circiter horarum spatium, cum videlicet ad scholae pensum vocabat aes campanum. Huic scholae defatigationi duas horas, et quadrantem de more cum de-

dedisset; si forte peteretur nomine (quod fere accidebat) pro externo quopiam infirmo, protinus advolabat, jacenti auxilium praestiturus. A duabus pomeridianis horis in gymnasio consumptis, fere nunquam non requirebatur ad idem subsidium moribundis exhibendum: copiosa enim albescebat messis in illa vinea; pro qua certe numerabantur perquampauci cultores. Octo erant omnino Socii Sacerdotes, qui se quidem totos usui oppidanorum in sacris ministeriis devoverant; quibus oppidanis nullum erat officium, quod a Sociis non deberetur: cum bene semper Guanasuatenses de Societate meriti fuissent; et singulari tum studio, tum munificentia coluissent unumquemlibet Ignatii filium; et ipsius Ignatii fidei, ac tutelae se commisissent, quem et primum sibi Patronum jurejurando adoptaverant. Sed erant cives isti quadraginta circiter millia, etiam non reductis ad calculum, qui in propinquis argenti fodinis laborabant: proptereaque Mexicani Socii nullibi quidem majorem, vix alibi parem operam adhibebant. Dionysio autem idcirco messis obveniebat copiosior, quoniam nominatim expetebatur a pluribus, qui suavissimam ejus indolem aut experimento cognoverant, aut ab aliis intellexerant: quae viri nativa suavitas nunquam magis elucebat, quam cum ageretur de consolando infirmo, aut muniendo moribundo supremis religionibus. Hisce charitatis operibus et ultro, et imperatus ab Superioribus, et requisitus ab aegrotis, alacriter intendebat, nec solum

lum interdiu, sed etiam noctu: et pluries accidit, vigilem assedisse totam noctem moribundi lecto; quin id impediret, quominus postridie ludi defatigationi de more interesset. Feriatos dies, quoniam ab schola cessabat, in charitatis ministeriis agebat integros: mane totum sacro Tribunali dabat indefessus; a prandio piam instituebat pompam, in qua, praeeunte crucis vexillo, ibat puerorum agmen, immixtusque vilis populus, ad quem invitandum, gravi pausa sonabat aes campanum; sequebatur Dionysius, alterne per vias canens Doctrinam Christi, donec pervenirent ad Templum Mariae Virginis Guadalupanae dicatum honoribus: ibi mysteria Sanctae Fidei primum explanabat, postea de bonis, atque emendatis Christiani moribus dicebat, pauca quidem, ne taedio esset, efficacissima tamen ad movendos animos, id potissimum curans, ut vulgaribus uteretur vocibus, quas consessus ille, nullis cultus doctrinis, intelligeret; postremo, flexis genibus, elata voce, intentissima pietate Guadalupanam Virginem salutabat illis precibus, quae vulgo Litaniae nuncupantur. Qui Dionysium in ejusmodi rebus totam diem intuebantur, penitus intelligere non poterant, quonam tempore pararet, quae discipulis in schola dictabat; quonam etiam Sacerdotum precationibus, aliisque Sociorum officiis quotidianis intenderet. Sed nimirum his nunquam deest tempus ad officia sua conficienda, qui boni diei particulam incassum praeterire non desinunt. Dionysius, quae suae partes

erant,

erant, antehabebat caeteris occupationibus; quibus eatenus praestabat operam, quatenus, re considerata, intelligeret, superesse sibi et pro illis tempus ab expleto suo munere.

Demonstravimus alibi, grassatam fuisse per eos annos in Mexicano Regno pestilentiam; et Guanasuatus, frequentissima, populoque refertissima Civitas, hujus fuit calamitatis pars non exigua. Duo erant pro immensa populi multitudine Parochi; qui sane alternabant in sudore muneris: alter enim cessabat mensem, alter adlaborabat. Erant et Sacerdotes, tum ex iis, quos appellant Saeculares, tum ex religiosis familiis; pauci tamen pro tot hominibus, ea praesertim insaevientis luis tempestate. In ea publica aerumna Socii, quanquam parvo essent numero, strenuam operam civibus praestiterunt. Et primo quidem Collegii Rector, ut per omnes urbis regiones latius in dies manare morbum intellexit; Parochum ultro convenit, quicum collatis consiliis, tandem postulat, civitatem quadrifariam dividi; quartam partem sibi, ac suis designari; tres alias *Cleri* reliquum in se recipere; quo videlicet morientium indigentiae paulo commodius, atque expeditius providerent. Nihil profecto aequius, aut publico bono magis consentaneum; sed obortis quibusdam difficultatibus, consilium evanuit. Ergo Socii, nullo discrimine, per totam urbem festinabant, ut sacra poenitentia expiarent infirmos, ut postremas religiones ministrarent morientibus: et cum esset urbs illa non modice protensa, et

in

in praeruptis clivi aedificata; ut irent, redirentque celerius, equis illos uti, opportune fuit ab Superiore imperatum. Et sane totum in his diem insumebant; cum diluculo unusquisque domo egrederetur, supplici praeeunte turba, quae ad afflatos contagione perduceret. At Socii duntaxat quatuor pro immensa provincia superfuere; caeteris aut pestilentia interceptis, aut alias impeditis. E quatuor illis fuit Dionysius, qui quanquam tradendae philosophiae intendebat; tum instante necessitate, tum discipulis propemodum omnibus eodem morbo correptis, toto illo tempore Magisterium cum charitatis munere commutavit. Adlaborabat quidem, nulla sibi data cessatione; ac per multos continenter dies illam etiam quietem delassato suo corpori negabat, qua noctu caeteri fungebantur: quidam enim Socius contagione perstrictus, atque immodice obnoxius timoribus ad repraesentatae mortis imaginem, aegerrime ferebat, Dionysium a se noctu abesse; qui si cubitum iret, recuperaturus vires pro insequentis diei laboribus, mox aegroti ejusdem nomine instanter appellabatur. Non latebat Dionysium, quod et ipsi palam ab aliis dicebatur, ea esse occupati morbo cerebri deliramenta; nihilo tamen secius commiserabatur hominem, qui veros metus a falsis imaginibus patiebatur. Ab illo vocatus, temperare sibi non poterat, quin illico assurgeret e lectulo: ibat ad infirmum in eximia vultus mansuetudine; recreabat illum suavissimis verbis; conabatur, qua poterat, a possessione mentis de-

deturbare illa tanquam spectra, quae miserum territabant; et magnam noctis partem apud afflictum consumebat. Id autem Collegii Moderator cum tandem resciisset, serio alloquens Dionysium, praecepit, ut in illis horis, quae nocturnae quieti dabantur, ab ejusmodi officiis abstineret; atque ille, nunquam non promptus ad Superioris nutum exequendum, commiserationi obedientiam antetulit.

Desiit tandem pestilentia; et Dionysius non levi civitatis admurmuratione finem imposuit cursui philosophico, quem tot adversa intercepe- rant. Sed Provinciae Magistratus rem facturus gratam hominibus bene de Societate meritis, in eadem urbe constituit manere Dionysium, qui a virtutum universitate mirum in modum acceptus fuerat Guanasuatensibus. Destinatus ergo ad sacras excursiones per oppida, et pagos finitimos, facile conjicitur, quam ingentes conatus, et sedulam operam adhibuerit in ejusmodi laboribus pro bono animorum suscipiendis, qui lubentissime iis vacabat, cum ex munere non deberet. Quo sane tempore nihil differebat Dionysius in novo munere constitutus a Dionysio Magistrò, nisi quod Magister partem diei dabat litterariis, partem sacris ministeriis; nunc autem gymnasii cura solutus, totus erat in expiandis poenitentia civibus, et orationibus ad populum aut in publico dicendis, aut in cubiculo elaborandis. Et quales fuerint ejusmodi orationes, inde argumentari licet, quod omnes mirabantur in Dionysio dicente, limpidissimam

cla-

claritatem, robusta cogitata, jucundam suaviloquentiam, absolutam operis perfectionem: sibi nimirum in exemplar assumpserat Paulum Sennerium, ad quem non longe accedere profecto adeptus fuerat; cujus etiam fervida pietate in concionibus abripi videbatur. Non habuit naturae beneficio plenam vocem, quae mire solet juvare dicentes e suggestu; sed tanta illi vis, et potestas de coelo inerat, tanta sanctimoniae opinione ab adstantibus audiebatur; ut illorum animos veluti manu pertentans, quocunque vellet, adduceret. Copiosa messis erat, quam in sacri fori subsellio colligebant Socii a Dionysii seminatione in suggestu: *Et certe*, ajebat quidam, *miras animorum a perditis moribus ad honestatem conversiones referrem, quas Orator Dionysius efficiebat; nisi haec arcana reservata fuissent inviolato sigillo sacrae poenitentiae Ministris*. Cum pro sacris excursionibus egrediebatur, oppida propinqua christianis institutis, cultu, et doctrina informaturus; in singulis ejus verbis, atque operibus ingens desiderium salutis animorum maximopere elucebat: hoc tamen desiderium nunquam non erat ad prudentiae leges, atque ad animi demissionem compositum. Et quanquam antiquitatis jure saepius esset primus in comitatu, et propterea caeterorum Superior appellatus; in rebus omnibus agendis pendere prorsus gaudebat a Sociorum comitum voluntate; adeo quidem ut vel Sacrarum Orationum, quas diceret, illud esset argumentum, quod sibi ab illis designari, ejus animi demissio

pe-

petebat, urgebat, impetrabat. In illo Apostolatus tempore pene quotidie pro concione dicebat incredibili fervore; ac praeterea familiariter ad se convocatos pueros mysteria Fidei docebat, prolixe quidem, et tota mentis intentione; quanquam non leve negotium illi facesseret aetatis tenerae incogitantia. Sedebat ante Solis ortum in poenitentiae tribunali, nec exurgebat, nisi constituto tempore ad Aram facturus; a qua rediens ad eumdem locum, ad meridiem usque durabat in Confessionum defatigatione. Id vero jucundissimi erat spectaculi, quod subsellium, in quo sedebat pro tergendis animis Dionysius, fere circumdatum erat corona pauperum, et miserorum; qui delicium illi erant, et quibus abundantius effundebat thesauros lenissimae charitatis. In his etiam laboribus conabatur, qua poterat, nihil desciscere a disciplina, quam domi tenacissimus observabat; quin imo ajebat ipse postmodum: *Quamdiu vacavi sacris excursionibus, operae pretium duxi, supplere industria virtutes, quas reapse non habebam; ne viderer homines verbis ad bonam frugem velle traducere, factis autem ad mores minus probos, vel certe ad oscitantes cohortari.* Haec ille; verum nemo erit ullus, qui aut minus recte agentem, aut quovis tempore oscitantem Dionysium, ab ejus religiosa infantia conspexerit. Ubilibet esset, fervidus agebat, probitatis exemplar se praestabat, bonum civibus, honorem Societati, gloriam Numini procurabat. Hac ductus opinione Superior, designavit illum, ut

 tem-

templi aedificationi interesset, quod pro Sociorum ministeriis a fundamentis erigebat Guanasuatensis munificentia. Id certe muneris non erat ejus indoli consentaneum; cum a curis omnibus, quae mentem in varia distrahunt, abhorreret natura: sed cum esset ejus animo apprime jucundum, in quolibet Superioris nutu Divinam respicere voluntatem; nihil distulit injunctum officium aggredi, atque insuper voluptatem quaerere in illa cogitatione, quod cultui Numinis esset, quidquid in opere molestum, et perarduum sibi contingeret. Id assidue volvens animo, non parcebat industriae, aut laboribus, ad Dei domum festine concinnandam. Computabat rationes oppido accurata diligentia; nec diem unquam transire patiebatur, quin accepta, et expensa fidelissime notaret. Patrem suum, Veracruce commorantem, saepius orabat, ut in illa urbe, commercio florentissima, coemerentur nonnulla in novi Templi ornamentum: et quamvis nihil unquam grati donandum pro suis religiosis usibus exigeret; non recusabat accipere charitatis nomine, quae pro sacris Aedibus mitterentur. Ita demum non mediocriter juvantibus Dionysii sudoribus, magnificum, et sumptuosum aedificium absolutum est; Sociique consueta ministeria, plaudentibus exultatione civibus, finitimisque ad celebritatem concurrentibus, auspicati sunt.

Ab his appellatus Mexicum ad Ministerium exerçendum in Divorum Petri, et Pauli Collegio; quanquam Sociis praeesse vehementer exti-

extimuerat, nihilo tamen minus obtemperavit alacriter. Plausere Socii juvenes, qui Theologiam ibidem attingebant; cum ad se venire suavissimae indolis Ministrum inaudierunt: nam tametsi intelligerent, hominem esse spectatissimae probitatis, et cui chara inprimis domestica disciplina; nihil vero dubitabant, hanc illum leniter, et prudentissime exacturum. Nec sane decepit eos, quae praecesserat de novi Ministri virtutibus fama; nisi quod has longe praestantiores, quam tulerat vox publica, in muneris exercitio suspexerunt. Jam a Ministerii exordiis eminuere propalam efficacissima ejus vigilantia, cautissima prudentia, eximiaque, ac pene dicam, incredibilis charitas. Quam liberalis in iis concedendis, a quibus nulla veniret domesticae disciplinae jactura; tam tenax erat in iis negandis, a quibus vel remote metueret periculum Ignatianis institutis, et moribus. Magistratum ejusdem Collegii gerebat tunc temporis vir quidam optimo animo, et castigatissima vita; sed qui observantiae studio, fortasse nimium ardenti, praereptus, ipse per se volebat omnia gubernare; proptereaque angustissimos terminos auctoritati Ministri definierat. Inde accidit non semel, ut unus aliquis e Sociis, quas a Ministro facultates obtinere non poterat, easdem a Rectore impetraret. Id enimvero nullum unquam extorquere potuit internae molestiae indicium a temperantissimo Dionysio; qui solebat in similibus dicere pacifico, et subridenti vultu: *Nec Luna lucem habet, nisi ab Sole; nec ego au-*

 cto-

cloritatem, nisi a Moderatore; a quo quidem non mihi est facultatum amplitudo, quae solet aliis Ministris. Nudus omnino a singulari erga hunc, aut illum benevolentia, in eos quodammodo ferri peculiariter videbatur, qui virtutibus excellebant. Non ira commotus, aut alio ductus incomposito affectu imperabat; quod sane manifestum fecit interdum, cum nonnullus (ut sumus homines) male acciperet ejus imperia: tunc enim ille pari constantia, et mansuetudine respondebat: *Quod faciendum praecepi, non temere est ab arbitrio meo; sed ab Lojolae institutis, ab Societatis legibus, a pervetusta consuetudine, quam Majores nostri probaverunt*. Socio cuidam juveni designató, ut in externo templo solemnibus interesset, cum alter, minus ipsi acceptus, daretur in comitem; extemplo Ministrum convenit, et pluribus precatur, alium sibi comitem destinari. Audiit patienter Dionysius, et quamsuavissime inquit: *Ego vero cum muneris mei partes omnino implere debeam, hunc certe non elegi temere, sed, servatis rerum vicibus, designavi; si tibi placuerit alter, Collegii Magistratum conveni: sane vellem tuo desiderio satisfacere; neque tamen possum arbitratu meo gubernare*. Ita quidem apprime justum, pacificum, et numeris omnibus moderatum gessit Ministerium, quod nullis utebatur potestatis administris, nisi lege, ratione, consilio.

Haec autem lenissima gubernatio non deflectebat in solutam, ac remissam; quin imo diu, noctuque intentus, invigilans, efficacissimus

mus erat, ut disciplina constaret. In noxios animadvertebat; singulari tamen prudentia, quae ad justitiae trutinam verba dispensabat. Connivebat in erratis, quae magis a misera natura, quam ab animi improbitate sunt: etenim probe intelligebat, a frequentibus ejusmodi animadversionibus hominem saepius exasperari, raro emendari. Nunquam vero praetermittebat eos corrigere, qui aut identidem labebantur, aut domesticam pacem turbabant, aut charitatis unitatem scindebant, aut bonum Societatis nomen degeneri quovis facto maculabant. Generatim in subditis corrigendis, urbanissimam suavitatem primum adhibebat; cui suavitati, cum inutilis fuisset, surrogabat auctoritatem, atque auctoritati tempestivam severitatem; quae vero severitas non prorumpebat in contumeliosa verba, quae praeseferrent corrigentis iracundiam; sed in ea, quae peccantis emendationem procurarent. Et certe (quod postmodum intellectum est ab ore nonnullorum, in quos interdum irruit ejusmodi severitas) asperiora id generis medicamenta nunquam non condiebat Dionysius oleo charitatis, ut suaviori agerent efficacia. Sed potissimum exemplo juventutem sibi subditam ad Societatis leges, et mores observandos instimulabat. Nulli unquam objecit domesticarum legum violationem, cujus reum invicem posset aliquis Ministrum arguere. Ac profecto, quanquam positus in fastigio, totus pateret omnibus; et plures fuissent, qui attente, curioseque verba ejus, et facta investigarent,

 ac

ac pene cogitata introspicere conarentur; nullus omnino fuit, qui delinquere Dionysium conspexerit, nisi forte, idque raro, in minimis illis, quae vitare omnia non potest infirma mortalitas. Nonnullos etiam, quos ingenio vegeto, et sagaci pollentes cognoverat, enixe oravit, ut, quoties ipsum in aliquo peccantem animadverterent, continuo admonerent: quam admonitionem magni futuram momenti ajebat tum ad privatam animi sui perfectionem, tum ad publicum munus majori gerendum utilitate. Quorum Sociorum unus ut sincere fatetur, se maximopere curiosum in Ministri vitam observandam intendisse; ita etiam testatur, vix aliquando reperire in illo potuisse levissimum erratum in Societatis praescriptiones: caeteri autem aperte dixere postmodum, se quidem, cum maxime adlaborassent in ejus rimandis moribus; omnino judicavisse, Dionysium esse hominem ad Ignatii leges quasi natura conformatum.

Haec agentem occupavit exilii lex, quam ejusdem Collegii Sociis promulgavit Josephus Galvezius, cui Legati ab Rege potestas erat in Mexicanis. Hic Legatus cum Ministri suavissimam indolem actutum novisset, ac miram in re subita serenitatem suspexisset; suam illi benevolentiam impertivit, ipsumque omnino voluit sibi comitem in toto Collegio perlustrando, in excipiendis rei universae rationibus, in profectione Sociorum adornanda. Haec Legati benevolentia, quam sincera, et religiosa affabilitas Dionysio comparavit, ansam ipsi praebuit,

ut

ut panni volumen non modicum, et plura ex officinis, medicamentaria, lintearia, culinariaque in exulum emolumentum a Galvezio postularet, atque obtineret: quae sane diuturnum fuere monumentum industriae solicitudinis, quam Dionysius in suorum subsidium, illo etiam repentinae calamitatis tempore, demonstravit. Ut erat Collegium illud numerosum inprimis, nec facile haberi poterant pro tot hominibus rhedae vectoriae; tripartito egressi sunt, postremum agmen regente Dionysio. Hic exivit Mexico Kalendis Quintilibus; atque ejusdem charitas ab eo praesertim tempore, tanquam fluvius extra ripas effluens, mirifice in Sociorum bonum influxit multiformis beneficentiae alluvionibus; a quibus non cessavit totum quinquennium, donec fato concessit. Jucundissima vultus hilaritas comitabatur hominem in primo illo itinere terrestri; omnesque tum verbis, tum operibus cohortabatur, ut ingruentibus malis patientiam opponerent, ut Domino in laetitia servirent, ut afflictos animos ad aeternam patriam converterent. In diversoriis efficacia, et sedulitate incredibili adlaborabat, ne deessent unicuilibet e suis commoditates illae, quas religiosi homines habere pro loci, et temporis natura poterant; intereaque suimet nihil curans, quae sibi deberi ex munere videbantur, aliis facile concedebat. Xalapam cum attigisset exulum turba, indeque propter praerupta itinera cessare a rhedis deberent; ejus oppidi Parochus, qui Dionysio necessarius erat, gradariam, ac decenter

ephippiatam mulam illi mandavit. Laetus quidem, et multis grati animi significationibus beneficium Minister accepit; id autem, quo viam alter commodius ageret: nam ipse sibi succussatorem equum ex delatis meritoriis elegit. Quintodecimo fere milliario ante Veramcrucem parvus est pagus, Prisca Veracrux appellata; quae floruerat olim commercio, et opibus, ante novam illam conditam, et nomen ipsi cum oppidanis concessum. Ibi opperiebatur Dionysium Sebastianus, ejus frater natu minimus, ut ipsum, atque ejus comitatum opipare tractaret. Gratias egit effusissimo, et sincerissimo animo Dionysius, qui et nihil non tentavit, ut suis omnibus perquamutilis esset urbana Sebastiani charitas, a quo precibus obtinebat, quidquid religiose inopum solatio consentaneum arbitrabatur: more nimirum amantissimae Matris, quae filium in adversis rebus ut consoletur, nulla non adhibet tum verborum officia, tum factorum obsequia. Plane intelligebant omnes, prae semet cordi Ministro esse calamitosorum agmen, quos in ea peregrinatione gubernabat. Trimestre spatium, ac dies aliquot Veramcrucem tenuit, cum Sociis, qui sacrae scientiae dabant operam, aliisque pluribus additis, in domo quadam collocatus, ampla illa quidem, sed quae tantam multitudinem capere satis non poterat. Dionysius angustissimum binas inter portas cubiculi cujusdam angulum suo lectulo delegit; quo certe angulo magis incommodum alium aegre in tota domo reperisses. Equidem ignoro, num pro

suis

suis usibus aliquid a Patre, fratreve, toto illo tempore postulaverit; liquido autem constabat, quod assiduus efflagitaret pro recreandis infirmis, pro inopibus adjuvandis. Quin imo Patrem, et fratrem praemonuerat, aut nulla unquam cibaria immitti sibi, aut ea esse, quae sufficerent pluribus invitandis: nihil enim se libenter manducare, nisi e Sociis complures haberet convivas. Quo quidem in genere, familiae Pereziorum innumera refert accepta, quae tunc ibi erat pubes Mexicana.

In illis etiam habitaculi angustiis, et turbatissimis undique rebus, non cessabat a pietatis institutionibus, et religiosae disciplinae studio promovendo. Magnopere dolebat tanquam de supremo infortunio, quod Sociis in ea domo conclusis non ad Aram facere, non interesse Divino Sacrificio liceret: eaque propter, quanquam res erat plena difficultatibus, nullum non movit lapidem, ut domesticum Sacrarium erigeret, atque Aram geminam, et sacram supellectilem, sui Patris auxilio, et opera, compararet. Nec animo concidit ad auditum post dies paucos imperium, ne Socii Sacrum facerent, nisi in occluso loco, cui tamen fores essent in viam publicam. Dionysius enim viribus omnibus enisus est, ut sutrina illi concederetur in proximo posita, in quam duplex erat aditus, alter ab atrio domus, quam Socii inhabitabant, alter a via publica: quo postremo semper obserato, erectus est locus ille in sacellum, cui omnia ex praescripto conveniebant. Hac supe-

rata difficultate, ad legum custodiam, et rei domesticae bonum ordinem se convertit: ac primum omnium curabat otium dispellere, sane usus prudenti suavitate, nec, quasi rebus integris, objurgans, aut operam postulans nihil intermissam; sed industria sagacitate hunc, aut illum alloquens, ea disseminabat, quae magis, magisque ad scientiarum amorem juvenum animos inflammarent. Solebat etiam, tanquam solvi sibi dubium expeteret, quaestiones aliquas enucleandas ultro excitare, sive de morum scientia, sive de caerimoniis in re Divina peragenda, sive de sacris paginis explanandis. Promovit, qua potuit, efficacissimus, ut venientes exules in Italiam, Italorum linguam condiscerent omnes: quo factum est, ut quidam, cui non omnino ignotus ille sermo, Magistri vices ageret, pluresque ad illum quotidie Socii concurrerent auditores, etiam ex illis, quos ad longos annos liberalium artium Magisteria decoraverant. In hac auditorum turba comparere Minister non erubuit; nec linguae Italicae rudimenta, instar elementarii pueri, committere memoriae recusavit. Caeterum magis occupavit hominem cogitatio perducendi ad exitum desideria, quae diu foverat, ut Socii omnes, priusquam se se darent maris periculis, animos excolerent per dies octo Divinis meditationibus. Pia profecto cogitatio! Sed quae videbatur executioni mandari non potuisse; cum pro tanto Sociorum numero illa esset domus angustia, ut pene vix unus aliquis loco se moveret, quin

ac

ad plures offenderet: proindeque summopere difficile, atque arduum erat, illam adipisci ab humanis imaginibus vacuitatem, atque ab omni strepitu solitudinem, quae peropportuna censetur ad audiendam Dei vocem, se se in animas insinuantem. Quod cum Dionysium non lateret, saepius auditus est in haec erumpere: *Faciemus, invito malo daemone, quod pro tempore liceat; et pauca, quae nunc egerimus, pluris fient apud Supremum cordium Scrutatorem*. Et quidem propalam omnes conspeximus, in pietatis rebus, quas homo Deo confisus aggreditur, nihil esse tam difficile, quod perinde habendum sit, ac si omnino fieri non possit. Suavi, ac prudenti diligentia se se ab loci difficultate Minister expedivit: collatis enim consiliis cum aliquibus fervore praecipuis, et potissimum cum Joanne Rotericio, cui maxime id erat in votis; non imperio, sed precibus obtentum est, ut cubiculum mediocris amplitudinis interdiu vacuum esset pro volentibus ad dies octo vacare sacris commentationibus. Et quanquam vetuerit Dionysius, nomen suum apud invitandos appellari, ne videlicet ab ejus auctoritate cogi viderentur; magna Sociorum pars ad navigationis pericula piis illis exercitationibus comparavit se se; quibus autem praeibat Minister, omnesque ad modestiam, silentium, et mirabilem temperantiam exemplo cohortabatur.

Ita refecto animo, accinxit se ad proximam navigationem; quae ut minus incommoda esset Sociis, pluribus insudavit, quam debuisset

ex

ex munere; non modica passus est a multorum incogitantia, et nonnullorum indole impotenti; magnamque pecuniae summam, sibi a suo Patre pro suis usibus erogatam, in universorum bonum impendit. Magnanimus, atque imperterritus Patri, fratri, et natali solo valedixit; ac demum octavo Kalendas Novembres Veracruce solvens, Havanam contendit. Mensem ferme totum in anchoris fuit ad Havanenses; a quibus postea navigàns ad Hispanos, post integrum trimestre, ingentibus aerumnis, et periculis refertum, Gades appulsus est. Hoc sane difficillimo suae vitae tractu, nihil sui dissimilis Dionysius, plura dedit omnibus et fervidae in Deum religionis, et mirificae tolerantiae documenta. Quoniam non licebat, quotidie Sacrum omnes peragere Sacerdotes, Dionysius ad Aram faciebat, quo die suae vices erant; caeteris vero diebus intentissima pietate dapem Eucharisticam a Sacrificante accipiebat. Omnibus, ut se daret occasio, vultu placido inserviebat; et silentio submississimus devorabat, quae plura suis et oculis, et auribus injucunda saepe obveniebat intueri, atque inaudire. Non semel diem totum exegit impransus, quoniam stomacho ejus incredibilem nauseam movebant immunda quaedam in appositis cibis comperta; neque vero tunc liberum ori suo faciebat in verba erumpere, nisi quae pietatem, atque unitatem cum Numine, a quo veniunt omnia, redolerent. Horrenda vero aerumna inter caeteras fuere tenebrae illae, non a natura, sed ab arte factae,

quae

quae navigii ejus vectores identidem affligebant: quippe hi vectores in cavo medio super sarcinas erant; sed turgescente mari, ne, fluctibus obruerentur, occludebatur ejusdem cavi porta, in alto posita; qua reserata, diem intuebantur; obserata vero, quasi in concubia nocte caecutiebant. Dionysius illis diebus diuturnae nocti quamsimilibus Divina meditabatur fere non interrupte, audiebaturque magna cum fiducia Deum alloqui, et Davidica illa ingeminare: *Tibi derelictus est pauper; Orphano tu eris adjutor*. Illarum etiam tenebrarum tempore auctor erat Sociis, ut, qua possent, congregarentur, preces illas, quae Sanctorum Litaniae nuncupantur, alterne dicturi; salutatione Angelica sexagies repetita, Deiparam precaturi; aliorumque coelestium patrocinium nominatim imploraturi: *Cur enim*, ajebat, *haec pauca, quae sereno coelo facimus, tristiori tempore omittamus?* Pro designata sibi lectione de Divinis rebus, ut etiam pro Sacerdotum precibus quotidianis; hinc, atque hinc offendens, conabatur in excelsum navis ascendere, ac sub dio parumper esse; nihil profecto exterritus ad irati maris faciem, dum habere quoquomodo posset hoc animi assuetum alimentum. Postridie quam Gades attigit, cum toto comitatu transvectus fuit in proximum Mnestei portum, positusque in ampla domo, quae fuerat olim Sociorum diversorium. Ampla, inquam, domus erat; sed ubilibet pervenirent exules, nulla designabatur amplitudo, quam tot convenientium numerus angustam non faceret.

ceret. Obtigit Dionysio cubiculum, in quo tres duntaxat lectuli, non omnino incommode, sterni poterant; nihilo tamen minus, tres elegit sibi contubernales, quorum unus ante annos aliquot membris captus, et lecto semper affixus, nullo non egebat auxilio; alter autem prae senio pene repuerascebat. His, tertioque ut commodius potuit, collocatis; ipse quartus cubili suo destinavit angulum ita portae proximum, ut hanc aperire non posses, quin Dionysio afferres non leve incommodum. Ingenti fuit subsidio contubernalis Minister binis illis infirmis, quos diu, noctuque verbis, atque operibus recreare, fovere, consolari, unum suae curae munus commissum videbatur. Nec interea destitit a praestandis officiis Mexicanae juventuti: nam ut primum intelligeret, aliquem aegrotare, aut inopia laborare; suppeditabat ille pro impensis ad medicamenta, vel alia quaevis necessaria coemenda: ut nullo fallendi periculo affirmare possimus, maximam pecuniae partem, quam suus ipsi Pater larga, et benefica manu erogabat; in adjuvandis Mexicanae pubis inopibus Dionysium impendisse. Haec autem charitatis officia nihil impedierunt, quominus constitueret sibi quotidianam horarum distributionem, quae nihil differebat ab arctissimae disciplinae tirocinio. Quicunque Dionysium exquireret, illum nullibi reperiebat, nisi aut in suo cubiculo legentem, Divina meditantem, praedictis binis infirmis inservientem; aut in sacrario domestico genuflexum, ubi magnam diei

par-

partem ante Numen Eucharisticum consumebat. Octo etiam dies ad jucundiorem secessit solitudinem, sacris meditationibus transigendos: ad quam piam operam sacramento se obstrinxerat, ut alii Socii complures, postremae navigationis tempore; cum a mari tumido, ventis adversis, et male regente gubernaculo, navis cursu prohibita, lentissime, ac semper oblique progrederetur; indeque periti rei nauticae pejora ominarentur. Tot exemplis illibatissimae sanctimoniae, non vulgari admiratione defixit Socios aliquos, dignitate, doctrina, et probitate claros, qui e diversis orbis regionibus ad exilium properantes, inibi loci diversabantur.

Tres menses ibidem conquieverat Dionysius, cum ad Corsos navigare imperatur: qua in navigatione id improsperum, et maximopere infaustum ejus animo religiosissimo contigit, quod Socii prohibiti sunt, ne Sacram Victimam immolarent. Quam vehementer doluit, tam patienter tulit, hoc sibi, et suis negari solatium, quod unum esse, ajebat, in rebus calamitosis. Ille vero, quoties externus homo, qui navis erat Sacerdos, ad Aram faciebat; coelesti edulio reficiebatur. Caetera, nihil defecit a mirabili pietate, ac magnanimo corde, quod in Oceano trajiciendo demonstraverat: eo autem laudabilior fuit in praesenti navigatione, quod copiosissima se obtulit messis aerumnarum; quas alibi a nobis memoratas, lubenter hic praetermittimus. In illis omnibus apparebat imperturbata Dionysii tranquillitas; a quo non prodibant,

bant, nisi verba consolationis ad Socios, aut ardentes preces ad Superos, aut grati animi significationes ad Jesum, quod se participem Crucis ejus, facere dignaretur. Charissimum semper habuerat parvulum Pinamontii codicem, cui titulus, *Crux facta levis*; cujus effata per eos dies ingeminabat in colloquiis ad afflictos, ut universos edoceret, quod ipse mire didicerat, nedum patientem, verum etiam laetum induere vultum ad ingruentes calamitates. Ab his tandem solutus, Bastiam attigit, urbem Corsicae; quam ut tenerent a mari venientes, necesse erat, ut in cymbulas descenderent; quoniam navigia non poterant usque ad littus pervenire. Primam cymbulam ut conspexit Dionysius, actutum expalluit, exhorruit, atque a quodam sibi in familiaribus interrogatus: Quid rei esset, *Quid*, inquit ille, *non trepidem? Cymba illa, nobis ad trajectum parata, foeminas vehit: timeo peregrinae juventuti, quam comitem ducimus*. Atque ea de re plura dixit, quae animi erant illibatissimi, et nihil non formidantis a colloquio cum foeminis vel fortuito. Ut urbem ingressus est, tametsi agendum sibi erat cum hominibus, quorum nec mores, nec fere linguam didicerat; nihilo tamen secius actuosus, et industrius incredibiliter adlaboravit, in paranda, et ad domesticos usus concinnanda domo, quam Mexicana juventus inhabitaret. Per totam errabat urbem, nondum sibi cognitam; nullis parcebat sudoribus, nullis etiam sumptibus, vel ex pecunia, quae sui usus erat; ut habitaculum illud

in

in Collegii formam redactum, omnibus abundaret, quae religiosam inopiam non dedecent; ut prandium, non quidem lautum, sed cui assueverant Mexicani Socii, ministraretur; ut Sacrarium intra domesticos parietes excitaretur, et necessaria supellectili, ad celebrandam quotidie rem sacram, affatim instrueretur. Fuit Socius quidam inter primos doctrina, et auctoritate, qui tantam Ministri diligentiam, et solertiam demiratus, nihil dubitarit asserere: videri Dionysium omnino a Deo destinatum, ut Mexicanos adolescentes, tanquam Tobiam Raphael, in difficili peregrinatione protegeret. Ac certe Custos Angelus illis erat, tum a compluribus aliis officiis, tum praesertim ab assidua vigilantia, ut ab illis pericula removeret, ne ipsorum animae ad praecipitia imprudentes offenderent. Nec defuere, qui similitudine usitatiore quidem, sed quae satis exprimit Dionysii charitatem, ipsum comparabant gallinae suos pullos conducenti, quae hinc, atque hinc solicita errat, alimentum actuosa quaerit, et quidquid reperit; ipsa fere abstinet, ut industriae suae fructibus pulli cibentur. Profecto juvenes illi suavissima fiducia conveniebant Dionysium, in quo, sinminus opportunum suis petitionibus auxilium, certe quamurbana verba, et idonea consilia reperiebant, ad gravissima ejus tempestatis incommoda perferenda.

Pulsis fere post mensem Corsica Sociis, Dionysius, et alii complures impositi fuere in Gallorum myoparone; qui pro tot vectoribus

Z ita

ita erat angustus, ut, aegre constratis culcitis perquampaucis, reliquae, nec solutis funibus, temere jactae fuerint in media. contignatione. In una ex his culcitis ita involutis recubabat noctu Dionysius, in suis vestimentis, qualis erat interdiu: nulla enim ratione, aut precibus flecti unquam potuit, ut in loco minus incommodo, et constrato cubili recumberet; quanquam id per eos dies (qui fuere ultra quindecim) sibi a subditis identidem, atque instanter offerretur; et sive aetate, sive dignitate, sive aliis nominibus, ipsi deberetur; atque eo maxime, quod praeter caeteros officii sui labores, non modicam diei partem in re culinaria desudans insumebat. Oryzae, ac salitae carnis rata portio dabatur quotidie Sociis; eam vero igni coquere, Dionysii munus erat, qui novam illam, et permolestam provinciam sibi ultro assumere nihil dubitaverat: suis ipse manibus et oryzam ab immundis purgabat, et carnem frigida lavabat, et ignem excitabat, et excitato cibaria admovebat, et cocta Sociis distribuebat, et lances abstergebat. Quae servilia munera publice administrare, nihil pudebat hominem, qui et modice nimium de semet sentiebat; et suos, quanta maxima posset cura, ut sublevaret, obstinaverat animo jampridem, deteriora, et viliora quaevis officia sibi reservare. Plura quidem in his obeundis ab externorum aliquot sive incogitantia, sive improbitate, amara inaudiit; quae tamen eximie temperans toleravit, quin ab incepto charitatis officio dimoveretur. Haec dum

dum ageret, partim navigabat; partim erat in Delphini portu, jactis anchoris: quo stationis tempore cum imbres deciderent frequentissimi, coquinandi difficultates increscebant; quoniam focus, ut in mari, sub dio erat. Dionysius autem non se deserebat: etenim focum, utcunque poterat, storea operiebat; altera vero debile tectum conformabat, sub quo rei dabat operam, binis de more familiaribus comitatus: quod sinminus carni coquendae idoneum esset tempus, ova saltem elixabat, quae facile habebantur, ad lucrum discurrentibus oppidanis. Huic operi quadam die intendebat, vento parum validiore adspirante; cum myoparonis Magister incredibili succensus ira, multa evomuit in hominem, et nullo non audiente, convicia, et opprobria longus ingessit, quasi offensi patientia, et silentio provocaretur; nihil autem interturbavit Dionysii serenitatem, qui deorsum oculos, animum sursum, sartaginem manu tenens, mirifica demissione descendit ad Socios, male cocta cibaria dispensaturus, et cum cibariis blandissima verba, et salutaria consilia, quibuscum et vultus tranquillus, et recens probata temperantia summopere congruebant. Cum liceret pro tempore, poma, panem, et carnes recentes coemebat, ut a plurium dierum inedia Socios quodammodo allevaret. Universim suis inserviebat Dionysius, plusquam famulus pecunia conductus; impendebat in illorum utilitatem instar Patris opulenti; et quasi suavissima Mater omni ope fovere ipsos, et recreare procurabat.

 A Del-

A Delphini portu in Segestam Tigulliorum transductos exules aula excepit ingenti quidem capacitate, sed cui commoditas deerat pro lectulis consternendis. Pro suo Dionysius elegit angustissimum locum inter fenestrae velum, et fenestram ipsam; more nimirum hominis, qui, quoties daretur optio; sibi deterrimum eligebat. Ab hoc oppido, mulis clitellariis insidentes, terrestrem viam instituerunt; et Forum Novum in Parmensibus cum attigissent, repente intellexerunt, jam inde suis unumquemque sumptibus devehendum. Forte reperiebatur in comitatu Adjutor quidam Socius Paraquarensis, qui ut erat in summa egestate, omnino nesciebat, quo pacto posset iter conficere. Rem inaudit Dionysius, hominem ad se vocat, humanis verbis alloquitur: *Nihil timeas*, inquit; *equidem usque ad terminum communis peregrinationis pro te solvere impensas polliceor*. Et quidem ille pudore suffusus, tanto uti beneficio verebatur: eas autem charitatis, atque animi sinceri significationes ex Dionysii tum verbis, tum operibus intellexit, ut a pudore illo in magnam fiduciam devenerit, et postmodum aperte asseveraverit: *Se profecto in Dionysii obsequium, peditem iturum lubentissime per universum terrarum orbem*. Is idem fuit, qui admiratione defixus ad charitatem pene supra humanam fidem, qua Dionysius in suis recreandis utebatur, atque ad alias ejusdem eximias virtutes, quarum ipse toto illo itinere testis fuit oculatus: *O vos beatos*, exclamabat, *Mexicani juvenes, quibus Divino bene-*

neficio datum est, hoc fungi Ministro spectatissimae Sanctimoniae! In hoc ipso itinere quidam repertus est, nescio cujus Provinciae Socius Adjutor, qui cum a Dionysii manibus largiter manare dona conspicaretur, ab ipso stragulum, charitatis nomine, postulavit. Unum duntaxat ille habebat, quo noctu operiebatur, ad arcenda frigora; hoc autem unum bifariam divisit, dimidium postulanti dedit, alterum sibi reservavit; atque ita manifestum fecit, nunquam exhauriri munificentiam hominis, qui magnanimus est a liberali misericordia. Pedes e Foro Novo excessit Dionysius cum toto suo comitatu, et statim viae initio dictis alterne precibus, quas Marianas Litanias nuncupant; in suavissima colloquia incidit de rebus pietatis, et praecipue de interna laetitia in supremi Domini famulatu, et de ingeminandis, quaecunque irruerit calamitas, illis Jobbi verbis: *Dominus dedit; Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.* Haec autem tantis incolarum coelestium exemplis, tam festivis intra modestiae terminos leporibus, tam opportunis amoeni saporis narrationibus condiebat; ut quanquam delassati pedestri itinere, cui nunquam assueverant, patientes tamen, atque animo fortes in Divi Lazari cauponam devenerint, non longe a Parmae suburbanis. Et hic, dum reliqui Socii a praeterita defatigatione feriabantur, Dionysius adlaborabat, ut prandium omnibus pararetur, et sua quidem impensa; quam sane charitatem reliquo peregrinationis tempore continuavit. Unam so-

 lum-

lummodo nancisci potuit rhedam meritoriam, quam alterne conscenderent, qui sive a morbo, sive a debili corporis constitutione nimium divexarentur. Et quanquam multis nominibus primus deberetur Ministro locus, aegerrime persuaderi potuit, ut rhedam ascenderet aliquando, idque brevissimo tempore: nam assidue caput efferebat, suis inquisiturus oculis, num pedes aliquis defatigationis daret indicium; nec diu fuit, quin alterum delassatum crederet, atque illum in suum locum sufficeret. Ter, quaterve, Sociorum precibus instanter iteratis coactus, et pene alienis manibus introlatus, rhedam conscendit; sed totidem eadem de causa post modicum intervallum ab illa pedem extulit. Ita demum Regium in via Aemilia pervenerunt, ubi plura cisia pro suorum commoditate conducere potuit. Sed aliquando tandem inopia Dionysius laboravit; neque vero tunc passus est, ut Socii comitatus, quae pauca habebant, impenderent; sed ab illis commodatam pecuniam accipiens, erogare non cessavit; ac deinceps, quidquid unusquisque commodaverat, ab illo recepit. Ingens profecto limpidissimae charitatis documentum! Id cum intellexisset Socius quidam, qui (ut sumus homines) nonnihil infensus Dionysio fuerat hactenus; ab eo jam tempore non solum veneratione, sed etiam summis laudibus, ejusdem virtutes prosecutus est. Regio Mutinam venit ille comitatus; quem nihil tale sperantem Joannes Granellius, Collegii Sociorum in eadem urbe Moderator, tam beni-

gna,

gna, et urbana charitate liberaliter habuit, ut hominis memoriam in suis animis aeternum insculpserint Mexicani: nam praeter hospitalitatis obsequia, quae privatis quibusdam officiosissime praestitit; Socios omnes peregrinantis Dionysii comites, quorum nullum vel facie noverat, magnifice in caupona excipi suis expensis imperavit; ipsisque rhedas impendio etiam suo paravit, quibus ad Forum Gallorum transveherentur.

Ab hoc Foro paucis horis cauponam attigerunt, in Bononiae suburbanis positam, unde post brevem intercapedinem ab eo, qui Provinciae tum praeerat, missus est in Castrum Divi Petri Dionysius, qui pro magno Sociorum numero diversoria designaret. Nihil praetermisit Minister, ut exquisita sedulitate commisso muneri satisfaceret; neque vero in illo pago reperire potuit amplas domos, quas instar Collegiorum concinnatas ad consuetae disciplinae usus incolerent: proindeque caeteris distributis, ut pro tempore licuit, non modicam juventutis partem domus excepit paulo capacior, et hanc regendam Dionysio attribuit Bellidus, qui Socios in eo Castro degentes gubernabat. Dum his intererat Dionysius, et peregrinam morum elegantiam cum spectata probitate conjunctam apud exteros explicabat; magnum virtutum suarum aestimatorem habuit hominem, in eo Castello primum id temporis, quem Consulem vocant oppidani. Rem domesticam constituit, etiam in illis rerum angustiis, quam potuit pro-

piorem usibus Mexicanae Provinciae, ac Societatis legibus magis consentaneam: ab hoc enim tempore fere nunquam non studebat Ignatiano Instituto, ad cujus normam supremis illis vitae annis gubernationem suam omnem aptare conabatur. Maxime autem Dionysio cordi erat domum aliam conducere, tum ampliorem, quae totam caperet Mexicanam pubem; tum ab externorum strepitu remotiorem. Tantae molis negotium, cui non leves difficultates occurrerunt, ipse confecit; ut credimus, ipsum fuisse, qui primus conceperit. Primo fere ab urbe milliario, qua parte Bononia spectat inter meridiem, et orientem Solem, in pervenusto colle, qui leniter acclivis assurgit, suburbanum est Herculanorum, patritiae gentis ejusdem urbis inter principes: quod suburbanum, pro Siriis ardoribus jucundissimum, in Mexicanae pubis habitationem tres totos annos conductum fuit. Utinam animadvertisset Dionysius, et cum eo, qui rerum clavum tenebant, qualis in eo loco, quem in alto positum, et nullo circummunitum aedificio, frigidissimi venti flagellant; qualis, inquam, jactura imminebat venientibus e Mexicano coelo, ubi in perpetui ferme veris temperie fuerant alti, atque educati! Plures quidem immoderati frigoris insueti, morbosam valetudinem contraxerunt, et longos annos miseri contabuerunt; nonnulli etiam (quo in numero Dionysium ipsum deflevimus) in phthisim incidentes, maturrime interierunt. Sed quidquid de eventu fuerit, animus erat Dionysio, suburba-

ba-

banum illud ab omni externorum commercio segregatum, omnino ad Collegiorum similitudinem informare; ut et curricula studiorum, et severior ad leges disciplina, et consuetae religiones instaurarentur. Et pro translatae illuc juventutis emolumento plura suppeditavit beneficus Minister, quemadmodum facere coeperat in Castro Divi Petri; libris etiam, qui usui essent ad Theologicas cognitiones, et morum scientiam, comparatis. In his enim, aliisque nihil dissimilibus charitatis operibus, quae mox videbimus, omnia impendebat, quae a Thoma Patre suo munifica largitate mittebantur; qui Thomas, ultra sexdecim unciales argenteos a Dionysio singulis mensibus usque ad mortem exactos, mandavit per id temporis, praesenti pecunia mille alteros ipsi numerari.

Et Bellidus quidem, ejusdem domus Moderator, palam asseverabat, religiosam disciplinam, et mirabilem pacem, quam in mutua juvenum ibi commorantium consuetudine omnes intuebantur, magna ex parte deberi Dionysio; qui ut plurimum juvabat maturo consilio, et suavissima prudentia, ita maxime praeibat exemplo. Tametsi ab acrimonia sanguinis, ut ipse ajebat, et fortasse ab inediae voluntariae rigore, noctes assidue perduceret insomnes; nunquam idcirco e lectulo non surgebat hora, minimum, dimidia, priusquam caeteri excitarentur. Designatum Socium, qui reliquos expergefaceret, ipse vocabat constituto tempore: quod si Socius ille aut parum commode se ha-

haberet, aut aliquando somno victus, non exurgeret e vestigio; Dionysius vices ejus agebat, lumen per cubicula de more introferebat, Socios ad destinatam Divinis meditationibus horam excitabat. Inde lecturus argumentum ad sacram commentationem, suum repetebat cubiculum, quod erat in remota parte vastissimi deambulacri, e regione altaris, ubi asservabatur Numen Eucharisticum: in ipso limine genua flectebat totam horam; qua confecta, summo fervore, ac modestia compositus, ad Aram faciebat; et rursus de genu, dum alter sacrificaret, Divini operis auctori gratias agebat. Hanc abrumpebat posituram, dum coccolati potione quamfestinanter corpus reficeret; ac rursus innitebatur genibus, aperto cubiculi ostio, donec rem sacram fecissent Sacerdotes omnes, qui domi erant interdum ultra triginta: quod si forte non esset, qui Sacrificanti ministraret, extemplo Dionysius occurrebat. Quidquid diei supererat, in cubiculi solitudine tempus utiliter impendebat; nunquam ab illo pedem efferens, nisi ad officia Ministerii: nam aut Divinis meditationibus, aut sacris precationibus vacabat; aut lectione ad pietatem animum inflammabat, mentemve ad illorum industriam, et officia, qui Deo aucupantur animas, erudiebat. Horas diei omnes adamussim in ordinem digestas habebat; nec unquam, nisi gravissima de causa, hunc sibi sponte injunctum ordinem immutabat: adeo quidem, ut ad plura, quam facile quis crederet, obeunda superesse Dionysio tem-

pus

pus videretur. Et sane in adimplendis Ministerii partibus, opus omnino habebat vacuo tempore ad plures excipiendos, qui ad illum, unus ex alio, adventabant; sive solatium, sive consilium quaererent, sive facultatem aliquam flagitarent, sive dubia percontarentur. Et affligebant Dionysium nonnulla incommoda, quae morosum potuissent illum reddere in illo cum Sociis necessario commercio: nam et impetigines a praedicta sanguinis acrimonia, et tetrae cogitationes ab atra bili, et stomachi affectus ab aegra concoctione, contumaciter hominem divexabant: et praeterea natura nimium ferebatur ad inanem formidinem, quod suis ipse tum dictis, tum factis, negotium aliis facesseret. Quae sane mala nisi suffocaveris assidua de internis motibus victoria, difficili semper vultu, et perturbato animo comparebis ad humanum contubernium. Atqui ratione muneris, tota die ad Dionysium confluebant Socii, quorum nonnulli, certe imprudentes, minutissimas nugas afferebant; neque vero ullus est, qui dixerit, in Ministri vultu animadvertisse levissimum etiam conturbatae patientiae vestigium. Quin imo summa illa benevolentia, religiosa urbanitas, et subridens affabilitas, qua venientes excipiebat, instar magnetis erat omnibus: ut nonnulli postea faterentur, se interdum causatos esse inane quidlibet, solummodo ut hominis dulcissima suavitate fruerentur. Fuit quidam, qui diuturno tempore, saepius per diem, putidis tricis importune premebat Dionysium; a quo etiam veniam

niam non semel postulavit; quod toties, atque inconsiderate ipsius aures obtunderet, patientiam exerceret. Cui Minister blandissime respondebat: *Nihil graveris ad me venire, quoties me tibi solatio fore credideris: Deus nos tolerat, ut in mortali militia commilitones nostros invicem toleremus*. Qua de re Socio cuidam haec dixit, profecto memoranda: *Se, in hac sui muneris exercenda parte, identidem confugere ad similitudinem mercatoris; qui lucro intentus, eo plus exultat, quo plures ad se conspexerit emptores confluere*. Ab hac omnino cogitatione illa aequabilitas animi, qua Socii Dionysium reperiebant, quacunque ad ipsum hora ingrederentur: nam coelesti lucro inhians, quo plures ad suam officinam confugerent, eo cumulatius emolumentum in beata sibi aeternitate dimetiebatur.

Cum hoc coelesti emolumento sibi etiam comparabat Sociorum benevolentiam, ut facilius ipsorum animas Deo lucraretur. Et huc sine dubio tota ejus in gubernando affabilitas collineabat; huc etiam illa generosa largitas, qua, tanquam esset opulentus inprimis, universorum utilitati pecunias impendebat. Quibus diebus lautiori prandio assueverant Socii,. Provinciae rebus integris; aliquid praeter consueta obsonia Dionysius benigne suppeditabat: ipse carmina de more condentibus, dato argumento, in Natalitio Domini, praemia erogabat; Theologicas theses propugnantibus,. gratulationes, et munera dispertiebat; peregrinantibus in Domum Lauretanam, si non haberent, unde commo-

modo sumptus facerent, abunde viaticum sufficiebat; alias demum ultro quaerebat occasiones, ut, fluentibus e manu sua donis, quotidianum opus in litteris, et pietate ferveret. Sed pauca haec omnia, si cum illis conferas, quibus assidue vacabat in aegrotorum subsidium. His ut accuratissime inserviret, lubenter intermittebat seriem temporis, quod pietatis rebus destinaverat: ut plane auditi sint, qui propalam affirmarint, se infirmos ut recrearet, ea fuisse Dionysium sedulitate, qua majorem non crederent ab ipsorum Matribus adhibendam. Siquis in gravem morbum incideret, Minister mane diluculo, breviter Numine salutato, ad aegrotum advolabat, quem et saepius interdiu conveniebat, iis apud ipsum in verborum suavitate colloquiis usus, quae et afflictum consolarentur, et doloribus oppressum cum Numinis voluntate conjungerent. Nulla unquam illum occupatio impedivit, cum adventasse Medicum inaudiret; cujus imperiis omnino praestari obsequium volebat, tametsi plurimi valerent praescripta remedia. Quale, quantumque apponeretur infirmo alimentum, id erat penitus ex Medici voluntate; sed elegantia, et mundities in condiendo praescripto edulio, munus erat, quod sibi assumpserat misericors Dionysii charitas. Sicui venam incidissent, non ibat cubitum Minister, nisi plane suis oculis conspexisset, bene constare fasciam, nec, illam de loco dimovendam, periculum apparere. Ulcere pulmonum pessime laboravit Ignatius Fanus, illi-

illibatissima innocentia Socius; qui ea fiducia diuturni morbi tempore cum Dionysio agebat, quali vix ageret decumbens parvulus cum tenerrima, et dolente Matre ad ejusdem vitae periculum. Delectabatur inprimis Ignatius Dionysii consuetudine ob ineffabiles delitias, quae ab ejus ore distillabant, cum de coelestibus loqueretur. Quibus delitiis inhians infirmus, identidem Ministrum ad se vocabat; et cum venisset, aegerrime ferebat ab se discedere: ne videlicet careret tum sòlatio a viro tantae amabilitatis, tum animi emolumento ab ardentibus ejusdem colloquiis. Et Dionysius, alias officii sui partes impleturus, captabat occàsionem aliquam, ut abiret inobservatus; vix tamen illum abesse animadvertebat Ignatius, precatum rursus mittebât, ne ad se redire gravaretur; et cum veniente amanter expostulabat: *Ita ne mihi irasceris, ut abeas, quin valedicas?* Et tunc jucundum erat audire, in quae blandissima verba erumperet Minister, ut afflicti sedaret animum. Debili jam, et pene impotenti ad naturae officia, ipse suis manibus alimentum ministrabat; et Ignatius, putans nimirum obsequium se homini praestare, saepius in animi grati significationem, orabat ministrantem, ut ex eodem obsonio frustum exquisitius et ipse gustaret: nec recusabat Dionysius, quanquam natura exhorrens, obfirmato tamen animo, in suum os inserere cochleare, quod ex ulceroso languentis ore nuperrime extulerat; nihil sane timens contagionis periculum, modo gratam rem faceret

in-

infirmo postulanti. A tot patientissimae charitatis argumentis exclamavit tandem Fanus, Dionysium alloquens: *Equidem spero, coeleste lucrum mihi fore morbum istum; cumulatius autem tibi, qui me sustines: bene igitur tibi vertat, haec agenti ob Dei amorem, qui liberalis impendio solvet officia, quae mihi misero, et inopi praestas.* Haud absimilem probavit Ministrum Josephus Barraganus, mellea natura juvenis, qui post Fani interitum eodem fere morbo decubuit: familiarissime cum Dionysio agebat, cui suos omnes animi recessus maxima cum voluptate crediderat. Recuperandae valetudinis causa, cogitabat Pisaurum proficisci, comite ipso, et quamlibenter annuente, atque animum paratum ad officia quaelibet pollicente.

Sed unum paratum animum ad operam, non operam ipsam polliceri jam poterat Dionysius; qui, gravissime fractis ea tempestate viribus, in Ministerii defatigatione durabat, non quia reapse posset, sed quia posse sibi videbatur. Jampridem summo languore divexari senserat, pervetustum atrae bilis malum recrudescere, omnino vapide se habere, animo concidere, inedia confici, somno destitui; qui solent esse antecursores, cum postrema naturae fatalitas illucescit. Rem serio pensavit Dionysius ad severae trutinae judicium; sed cum ipse sui esset judex, et calumniator; accusavit suum corpus delicatuli fastidii, quod intemperanti suimet amori nimium daret: proindeque judex indixit sibi, nihil immutare in consuetis Ministerii,

rii, et pietatis officiis. At sextili mense, anno 1772, quotidiana febris admonuit hominem, perperam judicasse in tribuendis tot gravissimi morbi signis delicato sui corporis amori. Extemplo Medicus ad aeris mutationem, unam desperatis rebus anchoram, confugiens, Dionysium cohortatur, ut Pisaurum immigret. Valedixit hic Sociis, obfirmate credens, postremum sibi diem imminere, nec Bononiam unquam reversurum. Plura illi remedia Pisauri praescripta sunt; incassum tamen omnia, nisi ad ejus purgandam patientiam, et vires magis, ac magis extenuandas: ut, ad cadaveris pallorem, et moribundi maciem cum devenisset, imperaverint Medici, Ravennam transferri. Sed in mortem festinabat, et post modicum temporis amisit etiam vires illas, quas, ut ad aram faceret, ab animi fervore corpus oppido debile accipiebat. Et hanc aeger fatalitatem maximam judicavit; propterea que nullum non movit lapidem, ut coeleste alimentum quamprimum sibi ministraretur in Viaticum. Fervidissima pietate paravit animum, totius anteactae vitae maculis apud Sacerdotem depositis, ut Divinus Hospes in diversorio grato conquiesceret. Cumque postularet instanter, hanc coelestem dapem sibi saepe saepius referri; nihil cunctatus edixit, ut cerea lumina, et expensae omnes, quae fierent, in Eucharistico Numine a Paroeciali Templo ad suam domum conducendo, pecunia sua solverentur. Quo autem animum quotidie posset hoc salutari cibo reficere, facultatem impetra-

vit,

vit, ut domi suae Sacrarium excitaretur; et pro immolanda inibi Divina Hostia, sacrum Calicem, et caetera ornamenta coemi praecepit; plane asseverans, fore sibi gratissimam hanc expensam, quanquam ea omnia semel duntaxat, se vivo, adhibenda esse intelligeret. Tanti enim erat comparare sibi voluptatem suscipiendi, vel semel, Eucharisticum Dominum! Ita quidem, quo toto superfuit tempore, quotidie hoc cibo recreatus est: quo sumpto, in suavissima modestia silebat, et pene aspiciebantur ab adstantibus gaudia, quae purissimo ejus animo Divinus hospes inferebat. Post ejusmodi quamjucundi silentii non modicum intervallum, precabatur familiarem Socium (qui summa charitate se illi sponte obtulerat quotidianae vitae administrum) ut nonnulla sibi legeret de virtutibus, quas apud Numen humanitate vestitum, in panis specie absconditum, alimentum hominibus datum, credebat potissimum exercendas. Inde tacitus precationibus, et meditationibus insistebat; et reliquo diei tempore is erat in lecti angustiis, et morbi doloribus Dionysius, ut, quanquam nihil hominem alias novissemus; profecto satis essent virtutes, in quas erumpebat assiduus postremis ante interitum diebus, ut illum inter viros conspicuae sanctimoniae collocaremus. Febris, qua urebatur, eo erat valida, ut lodices, et alia quaevis e lectulo suo tolleres, juxta flammam fuisse viderentur; hos autem ardores una temperabat aegroti patientia, qui nec unquam postulavit vel haustum

 aquae,

aquae, nec refrigeratione usus est, nisi quam Medicus juberet, nec alia hora, nisi omnino quam ipse definiret. Totum fere corporis latus, quo jacebat, pelle exutum erat; id vero sciebat ipse, qui et fortiter patiebatur, et invicte silebat; nec rem, nisi fortuitus casus, paulo ante ipsius mortem manifestavit. Interrogatus: Qui se haberet? vultu semper ad laetitiam composito, respondebat: *Male quidem; agamus Deo gratias*. Nunquam expostulavit de imperitia Medici, qui errasse in morbi curatione palam dicebatur; nec de famulorum oscitantia, qui munus interdum negligebant; contra vero, ad minimum officium sibi praestitum, in gratiarum actiones demississimis verbis animum effundebat. Is idem homo, qui olim magnam diei partem cum aegrotis insumebat, cui lectulos ipsorum sternere in delitiis erat, qui ulcerosum quemlibet manu tractabat, qui praeclare vincens insitum a natura horrorem, vesci non recusabat in iisdem lancibus, et cum eodem cochleari, quo tabidus manducabat; is idem, inquam, nunc morbo correptus, in maxima solicitudine est, ne per alios morbi sui serpat contagio. Socium, quem demonstravimus voluntarium ejus administrum, nolebat in sui lecti cubiculum ingredi, nisi omnino urgeret necessitas; et tunc precabatur, ut cautionem adhiberet adversus phthisis venenum. Postremis illis diebus, cum a summa virium debilitate non posset sibimet inservire ad plura naturae officia; gravi afficiebatur molestia, quod Socius

cius

cius ille in vitae periculum se conjiceret, tractans ipsum frequentius, ut in lecto sederet, ad cibos, et medicamenta suscipienda. Qua molestia ut solveretur infirmus, agebatur de conducendo famulo pro ejusmodi ministeriis; et magni laetatus est Dionysius: *Attamen*, ajebat, *senectae, quam juventuti propiorem conducite; ut ille a discrimine remotior, ego a timore sim: nam si conduxeritis juvenem, facile poterit haurire morbi mei contagionem.* Et sane timebat irrequietus, quoties ad ipsum ingrediebatur adolescens quidam, cui munus indictum, ut Socium administrum vocaret, siquid novi esset ab infirmo; donec tandem fides illi data est, nunquam fore, ut adolescens ille ad cubiculum ejus rediret: malebat enim solus, et quasi derelictus in lecto jacere, quam aliquem sua causa objici contagionis periculo.

Instanter precatus est, ad quatuor cubiculi parietes affigi papyraceas imagines Mariae Virginis; ut quocunque verteret oculos, illam intueretur, cujus patrocinium assiduus, et ferventissimus implorabat, nunquam non ipsi tributo dulcissimo Matris nomine. In ejusdem meditandis cruciatibus, delinimentum pro suis reperiebat; proptereaque delectabatur magnopere in pluries repetendo Cantico *Stabat Mater Dolorosa*, quod Mariae Dolenti consecravit Ecclesia. Praecipue vero habebat in amoribus illa suavissima ingeminare, *Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe.* Preces illas, quae

vulgo Rosarium nuncupantur, fervidissima pietate quotidie solvebat; donec ob summe prostratas ejus vires imperavit Sacerdos, apud quem conscientiae arcana deponebat, ut illas praetermitteret. Praetermisit quidem in obsequium obedientiae; sed rependebat officium inflammato admodum amore, ac pene non interruptis votis, ut se clientem dignaretur maxime, quo momento efflaret animam: et precabatur ipsum Sacerdotem, ut hi suavissimi affectus, quibus tunc amorem suum in tantam Dominam effundebat, sibi suggererentur in postremo agone, cum intermissa vocis facultas indicium esset jam proximi ab hac mortalitate discessus. Pari pietate commendabat se se Divis Josepho, et Lojolae, aliisque coelestibus incolis, quos, dum valuit, eximie religiosus coluerat. Sensim adaugebantur cruciatus; at etiam increscebat conjunctio ejus voluntatis cum Numine; a quo supplex obtestabatur, non certe ut malum allevaret, sed ut animum suum roboraret, ad quaevis in gaudio, et voluptate ob amorem ejusdem Numinis perferenda. Identidem ab ejus ore illa fluebant, *Fiat voluntas Dei, sicut in coelo, et in terra; sive vivimus, sive morimur, Domini sumus;* aliaque significantia, ubi se Deo adhaerere, cujus voluntas dum fieret, nihili se cruciatus aestimare. Cum paulo vehementius dolores impeterent, in haec audiebatur erumpere: *Omnia in Corde Jesu repono, ad cujus tutissimum asylum confugio.* Quae cum semper diceret ingenti animi fervore, manebat tran-

quil-

quillus, quasi prae gaudio exiliens, et fere abalienatus a sensibus in profunda meditatione jucundissimi asyli, ad quod confugerat. Semper cogitatione volverat Jesum Cruci affixum, ut patientiam in adversis rebus addisceret; ac postremi morbi tempore manifestum fuit, quantum in ea scientia profecerat: nam Jesu vita, cruciatus, nex, et ostenta, quoniam in ejus animo tenaciter insculpta, saepissime veniebant in ejus colloquia. In Cordis Jesu meditatione tranquillissime requiescebat, et totis viribus efficaciter conabatur in illum ignem introferre cor suum, ut nihil amplius respiraret, nisi Divini Amoris incendia. Luculentum habemus hac de re testimonium ab Socio, qui confessiones ejus excipiebat: *Audire*, inquit, *non poterat nomen Jesu, quin illico in vultu cernerentur motus animi ad amoris flammam agitati: totus enim in bilari modestia exultabat, sensim accendebatur, intra se recedebat, ad Cor Dei Hominis oculis mentis advolabat, huic suos cruciatus, et vitam offerebat, totumque se ad hoc Divinum exemplar conformari desiderabat*. Solutus a mundanis omnibus, unam suspirabat horam, qua rumperentur corporis vincula, et sine mortalitatis periculis Deo aeternum adhaereret. Ac beatam quidem aeternitatem sibi pollicebatur nihil dubius, cum Dei misericordiae se committeret: *quam misericordiam*, ineffabili gaudio ajebat, *mibi meruit Deus homo factus, atque effuso sanguine comparavit*. Proinde loquebatur de impendente sibi morte, quo sereno vultu solemus de itinere,

 quod

quod animi causa cogitamus. A Medico venarum pulsum explorante nunquam percontabatur: num spes aliqua recuperandae valetudinis affulgeret? Sed in haec semper placide laetus: *Quando ibimus in domum Domini?* In ejus ad familiares colloquiis Divina semper agitabantur; et postremo illo infirmitatis tempore siquis alius casu incideret sermo, ille altissime silebat, ad imaginem Marianam oculos convertebat, ac Deum meditabatur; ne audiret, quae Deum non saperent. Assiduus erat ad animum tergendum sacra poenitentia; et ne solutum a noxis manerent poenae post interitum, nihil non tentabat pro remissionibus habendis, quas appellamus *Indulgentias:* et cum sui compos fuisset ad postremum usque suspirium, jamjam moriturus precabatur, ut Socii Sacerdotes, qui aderant, de more attribuerent ipsi, animam agenti, remissionem, quae vocabulo christiano nuncupatur *Plenaria*: omnino enim sperabat a Deo misericorde, immunem igne lustrali animam suam, volaturam a custodia corporis ad gaudia aeternitatis.

Pridie tandem Xaverii solemnia, quem toto suae vitae spatio inter praecipue sibi charos numeraverat, hora tertia post noctis concubium in haec locutus est ad domesticos ibi adstantes: *Brevine agetur Sacrum? Angor enim vehementi desiderio reficiendi me dape Eucharistica*. Et cum intellexisset, vix horam sonuisse tertiam ante diluculum, suppliciter postulavit, ut valide ipsum ad coxendices constringerent.

Sane

Sane incertum, num id ageret, in cruciatibus moriturus, quod Christiano consentaneum ait Augustinus; num in memoriam funiculorum, quibus foedum in modum maceravit se Xaverius, cum Venetias contenderet; num demum quod speraret, hoc sibi futurum levamentum in postrema concertatione. Id liquidum: vix primum ligamenti vim sensit aegrotus, in postremum agonem devenit; et cum partem horae vigesimam in ea luctatione posuisset, omnibus munitus religionibus, diem supremum placidissime clausit postridie Kalendas Decembres, anno 1772; cum vixisset unum, et quadraginta, et fere bimensem. In ejus cadavere non erat illud tetrum, quod in suis exuviis relinquere solet discedens anima; quin imo in sepulchrum intulit vultus illam suavitatem, quae vivum fecerat hominem summopere amabilem. Aliquot ante obitum diebus enixe oraverat, et infimis precibus impetraverat, efferendum se in templo Divi Hieronymi, quod tunc erat Jesuitarum. Ibi ergo, magna Sociorum tum Lusitanorum, tum Quitensium frequentia exequias decorante, sepultus est. Manet apud Mexicanos insculpta Sociorum Quitensium religiosa in Dionysium charitas: nam et aegrotanti assiduitate incredibili adfuerunt; et vita functo, quasi Provinciae Socio, funerea officia persolverunt; et postmodum admirabili consensu viri sanctimoniam testati sunt. Haec autem sanctimoniae opinio, quae late inoleverat, etiam in vivis agente Dionysio; post beatum ejus exitum, in

laudes, atque apertam venerationem conversa est. Medicus a Dionysii cubiculo semper exibat prae stupore attonitus; et suavissime illacrimans ajebat, sibi esse in rebus prosperis, quod illi aegroto interesset, quem Sanctum demirabatur. Sanctum appellabant ipsum Ravennates illi, apud quos tempore infirmitatis diversatus est. Josephus Sanchezius Labrador, e Sociis Paraquarensibus, cui Dionysius totius vitae arcana in sacra poenitentia minutissime patefecit; admiratione defixus ob emendatissimos hominis mores, propalam dicebat, et scripsit etiam ad Mexicanum quemdam: *Equidem in praecipuis beneficiis a Deo mihi collatis annumero, quod Dionysium Perezium et intus noverim, et mori viderim; a quo certe spero didicisse, ita vivere, ut donet me Deus misericors pretiosa morte justorum*. Qui Sociorum Quitensium universitati praeerat, fatebatur aperte, se mirum in modum exultare, quod Dionysii cineres Ravennae jacerent, in quibus Viri Sancti exuvias, et memoriam veneraretur.

Hanc tanti hominis memoriam ut magis, magisque posteritati commendemus, operae pretium erit, adhuc nonnulla singillatim de virtutibus ejus degustare. Ac primum se nobis offert efficacissimum illud studium, quo inflammabatur, ut religiosae perfectionis fastigium ascenderet. Ea propter constantissimus a tirocinio fuit in tempore utiliter impendendo juxta praescriptam sibi distributionem; non ignorans, hanc distributionem a Doctore Suarezio

ap-

appellari fervoris animi Magistram. Siquis in ejus esset cubiculo, et, sonante hora domesticis religionibus praefinita, sermones continuaret; Dionysius obmutescebat; ut alter silentio admonitus, tempus esse pietatis officiis dandum, intelligeret: nec semel accidit, Socium aliquem cum illo colloqui, quo tempore vocabat aes campanum ad praelegenda argumenta pro sacra insequentis diei commentatione; quodsi protinus ille non abiret, suaviter Dionysius interrogabat: Visne, tibi legam, quae cras mediteris? Et legebat elata voce, nisi colloquens valediceret. Ad hunc scopum obtinendae perfectionis tendebat in sibi comparandis, et sancte tuendis amicitiae vinculis cum viris conspicuae probitatis, quorum et sapientia effata in assiduitate sermonum condiscebat, et intimas virtutes attentissime rimabatur, et eas in se describere totis viribus conabatur. Fuere Dionysio in familiaribus Josephus Genovesius, Augustinus Marquezius, Ignatius Coromina, Nicolaus Calatajudius, Petrus Borrotus, quae nomina, dum floruit Mexicana Provincia, in charissimis conservabat. Et Coromina quidem, vir plane sincerus, christiane demissus, et dono vaticinationis ornatus, cum Dionysium intima consuetudine novisset, atque animi sui arcana omnia sponte patefacientem inaudisset; non alio, nisi Angeli, nomine solebat ipsum appellare. Identidem ingeminabat Dionysius effatum illud: *Nemo est ullus, qui sui muneris perfectionem assequatur, nisi apprime didicerit,*

quae

quae sit ejusdem muneris natura. Proinde domestici juris fuit scientissimus, cujus instituta, saltem postremis vitae annis, prae manibus habebat, ac partem aliquam intenta opera quotidie legebat; ut assumpti status perfectionem assequeretur. Huic manum summam imponebat vigilanti praescriptionum Societatis custodia; quarum vel minimas magni referre arbitrabatur ad hominis in illa militia Deo sacri absolutam sanctimoniam. His praescriptionibus ut obsequeretur, nullum unquam Socium, nisi ab illis constituto vel Patris, vel Fratris titulo salutabat; ut etiam cubiculum scopis mundabat, quanquam prae Italici frigoris asperitate, cui non erat assuetus, manibus, pedibusque incredibiliter torperet. Totus homo erat eleganter compositus ad Ignatianas modestiae leges; ut certe nihil nobis videamur amplificare, si asseruerimus, in legibus illis, quae ad exteriorem Sociorum compositionem attinebant, adamussim descriptam esse imaginem Dionysii Perezii. Profecto in ejus oculis, ore, gestu, incessu, verbis, et consentanea totius hominis dignitate, aperte cernebantur demissio, temperantia, religiosa maturitas. Haec externa modestia, quam in Dionysio faciente ad Aras conspexit scelestissimus quidam, satis una fuit, ut miser ille poenitentia ductus, a flagitiorum coeno ad bonam frugem se converteret, et conscientiam, horrendis criminibus inquinatam, in sacro Tribunali mundaret. In eodem sacro subsellio dabat aures Dionysius adventantibus, cum accessit

pec-

peccatrix, quae videns hominem modestissimae compositionis, vehementer exhorruit, nec sua voluit aperire scelera Sacerdoti, quem (ut ajebat ipsa) oppido Sanctum a summa modestia licebat arguere. Ab eadem modestia complures Angelum, Guanasuatenses alterum Gonzagam, Franciscus Maria Columbanus, Pontifex ad Foropopilienses, Patrem Sanctum, Dionysium appellabant. Qua nihil obstante sedula diligentia, ut se Ignatii legibus conformaret, saepe ingemiscebat homo ille cupidus perfectionis altissimae, semet oscitantem esse in iis observandis, quas ut constitueret Lojola, tot precationes ad Superos, diuturnas lacrimas, et sanguinem legimus effudisse.

Hanc animi perfectionem ut obtinerent, qui sub ejus erant Ministerio, mirifice invigilabat. Supra demonstravimus fortitudinem illam prudentia delinitam, qua satagebat emendationis noxarum; quas etiam ut impediret, quo pacto poterat, se dabat assidue conspiciendum temporibus illis, quae pietatis, aut litterarum studio, domestica jure assignabantur. Hac nimirum de causa profundebat pecunias, quae in suam potestatem veniebant, et conatu maximo curabat, ne suis alimenta, ne vestitus, ne honesta supellex deficeret; ut voluntates omnium lucrifaceret, non quidem sibi, sed Deo; et rebus omnibus ad religiosos usus instructus unusquilibet, suis officiis intenderet ad legum normam peragendis. Quoniam objurgatio censuram redolet, ac nihilominus objurgare interdum te-

ne-

nebatur ex munere; donis animos mitigabat, et sic fidem faciebat, velle se humanitate, et charitate magis, quam potestate gubernare. Ac ne in donis distribuendis, personarum benevolentia ferri crederetur; ad caeteras largitates, quas memoravimus, unicuilibet ex sibi subjectis, in die illorum natalitio donabat uncialem argenteum. Plura laudavimus de suavissima ejus prudentia in corrigendis erratis, cum Mexici Ministrum descripsimus; pauca nunc subnectemus, quae a viro notissimae fidei, nullis notata temporibus intelleximus. Quoties odoraretur, infensum sibi esse, qui erraverat, et propterea graviter accepturum, ab se admoneri; animadversionem differebat, et temporis opportunitatem aucupabatur: quod si haec opportunitas non daretur, et noxa omnino reprehensionem postularet, aliquem adhibebat ex ipsius errantis familiaribus, qui rem corrigendam indiceret; quod si satis id non esset, ad Majorum tribunal accedebat, nec ultra sibi agendum, nisi precibus ad Deum, existimabat. Si plures essent ejusdem noxae participes, illorum omnium indolem, conditionem, virtutem ponderabat; et in eum solummodo animadvertebat, cui minus incommodum futurum odorabatur; ut hujus periculo caeteri saperent, et suam noxam venisse in Ministri notitiam intelligerent. Quo tempore Mexicana pubes inhabitabat suburbanum Herculanorum, Socius quidam culinam ingressus, lamentabatur vehementer, quod tempus minime consentaneum designatum

fuis-

fuisset officio cuidam litterario. Audiebat haec Dionysius, ab Socio non visus, qui repente ad illum innata suavitate: *Nota igitur tempus, quod opportunum crederes; videbimus, num congruat.* Et quanquam obmutuerit incautus juvenis, illi tamen obsequium praestare paratus erat Minister, nisi nihil immutandum plures postulavissent. Ita plerunque sententiam universorum inquirebat; ut et mitius esset imperium, et majori cum jucunditate obedirent, et suaviter ad status perfectionem deducerentur. Quod Socii peregrinationis tempore ab aliis occupationibus vacui essent, opportunum judicavit, aliquas precationes injungere, quibus omnes congregati vacarent; attamen voluit, antequam id fieret, voluntarium consensum a singulis impetrari: *Nam quae libenter*, ajebat, *ea perfecte feceris*. Et sane liberum subditis relinquebat, quidquid non pugnaret cum domestica disciplina; nec sua praesentia turbabat ingenuam illam libertatem, quae solet, honestae remissionis temporibus, juventuti concedi: adeo quidem, ut hieme insaeviente, utcunque ille frigeret, concluderetur in cubiculo, quod ab loci positione, nivaria cella videbatur; nec ad caminum, qui domi unus erat, admovebatur, nisi cum Socii juvenes aliis occupationibus intenti, admoveri non poterant.

Probe intelligebat, hominem Deo sacrum minime posse hanc animi perfectionem attingere, nisi totis conatibus intendat ad tria vota religiosa observanda. Voluntariam inopiam ex animo coluit; nihili aestimavit mundana omnia,

nihi-

nihili pecunias, quae plerunque sunt hominibus delicium, nisi ut eas egenis dispensaret. Has pro suis usibus a Patre accipiebat, cum Guanasuati commoraretur; nihilo tamen secius, tota ejus res lintearia suturis creberrimis constabat, pannosoque mendico digna penitus videbatur; neque passus est, novam substitui: cum persuasum haberet, in ejusmodi scrutis paupertatem animi tutissimam conservari. Dejectus a patria, potuisset, ut supra demonstravimus, commodissime vitam transigere; sed si pauca exceperis, quae in usus honestissimos impendit, caetera vestiebat, manducabat, et se in omnibus gerebat, more illorum, qui domi erant pauperrimi. Ut assidue vertebat oculos in Christi exemplar, *qui cum dives esset*, *propter nos egenus factus est*; accidit illi aliquando, quod semissem non haberet, parum lactis coempturus, quod ejus valetudini tunc utile censebatur. Et cum familiaris quidam, aeque inops, auctor illi fuisset, ut ex universorum pecunia, quae in ejus erat custodia, semissem acciperet, solvendum, cum haberet; se id posse facere, aut facturum unquam, omnino Dionysius negavit. Duodeviginti jam annos utebatur femoralibus, quae Pisaurum detulit, cum moriturus contendit; tibialia longo usu attrita erant, in quibus uno consuto foramine, alterum brevi succedebat; pro fasciis cruralibus corrigias adhibebat. Ab hoc inopiae voluntariae studio nascebantur in ejus animo assidui timores ejusdem virtutis perfectionem laedendi. Minister Mexici nega-

vit

vit rem quamdam Socio petenti, quam minus consentaneam rationi credidit; sed cum hunc subirasci animadverteret, continuo se revocavit, concessitque, ut a promo daretur ipsi, quod postulabat. Neque mora, paupertatis religio cruciat Ministri animum, quasi perperam concessisset, ut ex penuaria cella, quae in bonis est universorum, satisfieret privati petitioni, quam concedens ipse parum aequam existimaverat; ita demum ex sua pecunia Dionysius pro eo solvit, quod illi dari Socio imperaverat. Postremae infirmitatis tempore pecuniam nescio quam pro subito impendio acceperat a Ravennate, cujus hospitio utebatur; neque quia levis erat summa, leviter torquebat aegroti animum, qui saepius interrogabat, num recepisset homo ille, quod commodaverat. Respondit quadam die Socius valetudinis administer: *Quoniam ille non exigit, id eodem die, quo locationis pretium, solvemus*. Cui Dionysius: *Per Deum immortalem precor te, ut commodata illa pecunia e vestigio solvatur: nam Deo est in charissimis, ne solutio pecuniae pauperibus debitae prolatetur: creditor ille inops est, ac fortasse prae pudore nondum exegit rem suam; nolo, aut charitatem in miserum, aut paupertatis perfectionem offendi, quod rem alienam distulerim restituere*. Commendaverat Socio ejus administro, ut, se mortuo, et praemissa Superiorum facultate, dispensarentur pauca quaedam de relictis exuviis germano ejus fratri, atque aliis quibusdam Sociis, quos in parvo indice notavit. Sed repente ingens in

ejus

ejus animo tumultus exoritur, infimis precibus eundem Socium obtestatur, indicem illum proscindi; et multis asseverat, nisi hoc fiat, se in maximis angustiis moriturum, quoniam omnino judicabat, id repugnare voluntariae inopiae Sacramento; quibus haec insuper adjungebat: *Mori vellem, quampotero, similis omnium perfectissimo exemplari Christi morientis, qui nec tunicam suam Matri charissimae reliquit*. Maxime verebatur, contra hujusce virtutis jura loqui, si suam appellaret pecuniam illam, quam sibi, ut Sociis omnibus, Regia benignitas alimenti nomine singulis mensibus assignaverat. Saepius in hos incidebat sermones cum subdita sibi juventute, quam ut erudiret ex munere, vehementius, atque enodatius id inculcabat: *Meum appellare non valeo, ad quod jus mihi nullum est; jure autem omni me spoliavi, quo tempore Deo promisi voluntariam inopiam*. Invigilabat pene incredibiliter, ne, qui domesticis officinis praeerant, plura impenderent, quam necessitas ferret; neu quid ex sibi commissis male verteret in paupertatis jacturam.

Nihil inferiori studio pulcherrimam, sed quae facile marcescit, castimoniam colebat. Non ignorabat, tanquam aere pestifero corrumpi solere illibatissimum florem, ubi frequens adsit unius cum altero sexu consuetudo: propterea que primam adhibuit ejus custodiam, longinquitatem a foeminis. Atque hinc pavitare, contremere, inhorrescere, quoties agebatur de habitandis externorum domibus, ubi sequior

sexus

sexus ad praestanda officia domestica compareret. Famulus quidam, pro re culinaria in Castro Divi Petri conductus, introferre solebat in culinam sororem suam, deformissimam foeminam, quae sibi ferret opem in ejusmodi servilibus; quam tamen ut conspexit Dionysius, illico expelli praecepit, nec unquam iterum intra domus limen admitti. Utique causam ejus egere tum horrenda sua foeditas, tum extrema ejusdem miseria; quibus commotus Minister precibus tandem cedere judicavit, illam tergendis lancibus destinavit, et studium castimoniae cum misericordia conjungens, mercedem singulis mensibus assignavit. Pisauri, et Ravennae, quibus in urbibus necessitate compulsus, apud externos diversatus est; nihil sanè dubitamus, hoc illum nomine maxime cruciatum fuisse, quod passim foeminas intueri, et alloqui cogeretur; idque prae cunctis morbi doloribus illi acerbum contigisse, arbitrabatur quidam socius, cui notus erat longa consuetudine in arcanis intimis Dionysius. Qua verò ratione, quoties fuit opus, cum illis egerit; satis annuntiabant litterae post ejus obitum Bononiam venientes, quae in haec ferè conveniebant: *Dionysius nunquam oculos vertebat ad foeminas, et quae verba illis dispensabat, nunquam non erant ad necessitatis, et modestae circumspectionis mensuram ponderata.* Huic oculorum modestiae, ac linguae temperantiae, corporis macerationem in castitatis custodiam adjungebat. Corpus debile, atque infirmitatibus fractum, feria quaque sexta cilicio domabat; reliquis verò

rò diebus tres minimum horas hoc eodem cilicio se macerabat, donec rem sacram celebrasset. Id unum rimari potuimus de voluntaria hominis castigatione: plura suspicari licet ab illo suimet odio salutari, atque animo certè prono ad debellandam carnem, ne unquam de castimonia triumpharet. Sed quidquid fuerit de hac externa luctatione; profectò adeptus est (quod casu excidit ab ejus ore) nihil penitus commoveri, quasi lapideus esset, nec omnino carne constaret, ad foeda in hanc virtutem crimina, quae plura in poenitentiae tribunali judex audivit.

Sanè meritò affirmare possumus, obediisse Dionysium usque ad mortem; tum quia toto suae vitae intervallo libentissimè obtemperaverit, tametsi plura ipsius indoli peracerba Majores illi praeceperint; tum praesertim quod fato concedere maluerit, quàm imperata non facere. Plures erant, qui ob prostratas ejus vires, atque imminens vitae periculum, ipsum urgerent, ut a Superiore impetraret vacationem a Ministerio, quod tanti steterat ejus valetudini; sed cùm ab alio ingenii severioris audiret, praestare quidem suo judicio, mori obtemperando, et munus commissum exercendo; hujus consilium (fortasse quia durius, et sibi magis adversum) elegit, quod sequeretur. Quod cum semel constituisset, siquis denuo suggereret, ut cessationem a munere postularet; magnanimus respondebat: *Equidem obfirmato sum animo nihil recusandi, quod Superior indixerit; ut fidentius aliquando deprecer a Deo poenam aeterni*

terni supplicii, quam utique meis criminibus meruì. Totus ad Lojolae mentem, imperanti Moderatori non solum opere obsequebatur, sed etiam judicium demississime subjiciebat: ut, siquis, ipso praesente, auderet in Majorum decretum, aut gubernandi rationem obloqui, extemplo Dionysius illorum causam ageret efficacissima eloquentia; et semel visus est exuere tantisper consuetam vultus mansuetudinem, dum in quemdam Superioris obtrectatorem haec severe pronuntiavit: *Offensioni non modicae mibi es, quod haec ausis in bominem loqui, quem Dei vices gerentem cogimur venerari*. Nihil inde mirum, pendere Dionysium ab hominum nutu, quos Dei loco sibi legitime praepositos veneratione prosequebatur. Pari fere obsequio pendebat ab eorum judicio, quos erratorum suorum censores ultro ipse designabat. Socius quidam de illata sibi a Dionysio injuria apud ipsum conquestus est; qua de re Dionysius cum juvenem Sacerdotem, quem sibi censorem esse precatus fuerat, consuleret, atque ipsum audiret modeste respondentem, aequam videri sibi conquerentis causam; mansuetissime aperuit, cur ita se gesserit, nihil certe putans a justitia deficere; ac tandem insigni animi demissione adjunxit: *Sed quoniam tu judicas, errasse me; nibil tale in posterum committam*. Et profectò, quam dedit fidem, liberavit. Haud facile occurret Medicis infirmus aeque obediens, ac fuit Dionysius; qui ut totam seriem infirmitatis ad primò venientem deferebat, in haec desinere

solitus est: *Scias, velim, quidquid faciendum jusseris, nulla me tergiversatione obtemperaturum: proinde sive amara, sive putida, sive alio quovis nomine ingrata, potes ad arbitrium praecipere.* Praecepit ille, ac nihil cunctanter aegrotus obedivit, etiam in illis, ad quorum graveolentiam sine dubio se nauseaturum, Magistra experientia, didicerat. Coccolati potionis appetentissimi Mexicani sunt, quam nimirum quotidie manè, ac vespere sumere assuescunt a teneris; et haec erat una, quae paulum relevabat Dionysii aegrotantis extremam inediam. Non illi vetuit Medicus potionem istam, sed tantummodò leniter insinuavit, utile fortasse futurum, si ab ea temperaret; quae satis una fuit insinuatio, ut aeger abiret in sepulchrum, quin vel semel ab eo die coccolatum gustaret. Jusculum quadam die cum voluptate sumere visus est, ac rogatus, num amplius appeteret? *Haec*, ait, *mihi sufficit rata portio, quam Medicus imperavit.* Invito conatu frangendi se in omnibus, interdum apparebat, quam gravis esset stomacho ejus cibus praescriptus; quod si rogaretur, num sibi jucundior esset cibus alius? in summa lenitate respondebat: *Id mihi jucundissimum, quod a Medici venit voluntate.* Percontabatur identidem, quota erat hora, quota etiam momenta; ut videlicet cibum, potionem, medicamenta sumeret in eo temporis puncto, quod Medicus designaverat. Eadem erat religione, quo, et quanto tempore debebat ex ejusdem praecepto in cubili sedere. Parem praestabat obedientiam vale-

valetudinis ejus Ministris, qui sive volvere illum in lecto vellent, sive indusium mutare, sive quid aliud opportunum arbitrarentur; nunquam ille aut morosus negabat, aut rem differendam petebat; sed semper in haec affabilis: *Planè fiat, quod volueritis*. Ad haec, effusissimus agebat gratias de praestitis tanta charitate officiis; veniam identidem postulabat, quod ipsis esset molestiae; multisque significationibus testabatur, summopere se dolere, quod in sui obsequium adlaborarent. Sacerdotis vocem, quem animi arbitrum et conscientiae rectorem sibi constituerat, tanquam coelo delapsam inaudiebat, in eaque penitus acquiescebat; utcumque ad turbandam ejus pacem vanis timoribus Deum offendendi, malus genius frequenter insurgeret. Quidquid ad fervorem animi excitandum, aegro veniret in mentem; nunquam agebat, praedicto Sacerdote inconsulto: quo judicante, rem omitti, demississime Dionysius: *Ita sanè*, ajebat, *ad tuum arbitrium facerem, ad ipsum praetermittam*. Postremis vitae diebus pene fuit in periculo renuntiandi quotidiano solatio dapis Eucharisticae; quam rem in haec verba detulit Sacerdotis ipsius arbitrio: *Equidem, adventante ad me Numine, animum fervere non sentio; quod sanè argumentum est, a febris ardoribus non esse omnino mei compotem; ut hospiti Divino solummodo dicere audeam, me bipedum stupidissimum esse in ejus conspectu*. Decrevit Socius ille, nihil immutandum; aegrotusque maxima cum voluptate refecit se quotidie caelesti alimen-

mento. Ferraria cum venisset Ravennam Dionysii germanus frater, ut postrema morientis colligeret suspiria; incertus animo consuluit infirmus; num Deo foret gratius, germanum ad se non admittere? Nec profecto admisisset, nisi Doctor ille conscientiae suae pro fraterna pietate pronuntiasset. Eidem suo Doctori omnia minutissime patefecit animi arcana: *Nec enim*, dixit, *ignorare te volo, quis hactenus fuerim, quid modo agam, quid cogitem, quid etiam desiderem; ut et tu liberius imperes, et ego tutius obediam.*

Magnum fuit hujus perfectissimae obedientiae fundamentum insignis animi demissio, quam Dionysius in singulis tum verbis, tum operibus respirabat. Praeter politiores litteras, aliasque humanas cognitiones, quibus mentem apprime imbuerat; scientiis etiam illis excellebat, quae graviter exornant digne sapientem Sacerdotem: et fuit quidam, qui cum peritiam ejus consulto experiri voluisset, variaque sagaciter interrogasset de morum scientia, de animis ad perfectionis fastigium dirigendis, de scripto Dei Verbo ad Ecclesiae Doctorum mentem exponendo; plane asseverabat, non modo nullibi peregrinum esse Dionysium, sed omnia semper locutum, qua facilitate, ac recto judicio faceret illarum scientiarum constitutus Magister. Attamen vir ille demississimus nunquam inflari scientia visus est; nunquam aut in verbum, aut in factum prodire, quod vel remote significaret, in ejus animo elationem innasci; quin

imo

imo sibi nihil omnino placebat, identidemque opus erat, ipsum erigere, ac rationum momento certum facere, quam iniqua deciperetur opinione, cum inopem ingenii se crederet: quae sane opinio perperam illum induxerat, ut sibi ingemisceret tanquam prorsus inutili ad Societatis ministeria. Ut erat natura suavissimus, a pluribus expetebatur ejus familiaritas; nihilo tamen secius, ea suimet opinione delusus, gravem se omnibus, atque oppido morosum arbitrabatur. Servile quodlibet officium ab alio sibi praestari, habebat in rebus, quas, dum liceret per valetudinem, nulla vellet ratione permittere. Quadam die socius enixe contendit, et tandem impetravit, ut coccolatum igni dilutum in vasculum demitteret, ac suis ipse manibus Dionysio porrigeret; qui Dionysius et leve illud obsequium largissime donis rependit, et consueta vultus demissione ita Socium allocutus est: *Immeritum me, ac pauperem hodie maximi honorasti; sed bene tibi vertat, quod ad Judae pedes Christus esse non recusavit*. Ut Socii alterius lavaret pedes, gravis inter illos orta est contentio; petente Dionysio, ut sibi liceret, ad ejus pedes provolvi; negante altero, se tale quippiam unquam permissurum. Plura sunt a nobis memorata, unde argumentari liceat, quam amaverit servilia, quam se se flocci aestimaverit: ut nullum fere ipsius vitae intervallum quis legat, quin hujus virtutis affatim indicia reperiat. Ab hoc etiam fonte descendebat illa in adversis quibuslibet egregia

temperantia: quidquid enim sibi accideret improsperum, cum se suis erratis plura meruisse persuasum haberet, solummodo erumpebat in verba demissionis, gratiasque Numini agebat, a quo se infra meritum puniri asseverabat. Ita et in communibus calamitatibus, et in morbis crudelibus, quibus diu vexatus fuit, jucundum erat hominem aspicere vultu maximopere tranquillo; a quo etiam non recedebat, sive immodico frigore, sive aestivis ardoribus urgeretur: nam ad cujuslibet tempestatis incommodum, opportune ingeminare audiebatur Davidica verba: *Benedicite, ignis, et aestus, Domino; benedicite, glacies, et nives Domino.*

Debellavit motus animi usque ad mirabilem dominationem in suae naturae universum. Nihil unquam dissonum, nihil non elegans in ejus ore, aut oculis, aut totius corporis gestu conspiceres: ut pene viderentur illi animi affectus, qui peccantis naturae sunt germina, unam in Dionysio sequi Dominam rationem, ab una lege vim, et motum accipere. In subitis rebus plane compositus erat, ac paratus; tanquam immunis esset motuum illorum, qui repente insurgunt, animo certe nihil conscio, nec ullo propterea dato tempore prudentiae decretis. Cum litteras accepit, quae sui Patris obitum nuntiabant; tametsi prorsus inopinatus esset nuntius, minime imprudentem illum reperit; nec, dum id legeret, visa est vel levissima significatio doloris in homine natura suavissimo, et Patris amantissimo. Ab indolis facilitate omnibus

nibus erat affabilis, ab innata misericordia officiosus, ab ingenti virtutum aliarum cumulo nullius amore non dignus; proindeque tanquam jure suo complures inierat amicitias; utique vero, quae virum probitate spectabilem nihil dedecerent. Has autem amicitias, quae poterant aliquo pacto humanum quid sapere, paulatim ex animo avulsit; ac demum tam pari amore voluntas ejus omnibus adhaesit, ut in hunc prae alio non amplius inclinaret. Assidue volvebat mente, uno Dei nutu cuncta in orbe moveri; et mortem ipsam, malorum in hac mortalitate postremum, non nisi ab ejus voluntate, qui vitam sibi ad paucos annos commodarat, venturam: quae quidem cogitatio (auditus est semel dicere) sola sufficit, ut nullo eventu interna mea serenitas perturbetur. Solidissimum sane fundamentum, super quod facile excitavit mirabile illud aequabilitatis aedificium, quod firmius caute fluctibus contusa, nullo potuit periculo, nullis etiam ictibus alienae sive incogitantiae, sive malitiae labefactari! Erat natura praefervidus, pronusque ad bilis assultus; hanc autem hominis naturam plerique sociorum ignorabant: cum iteratis victoriis ita illam subegisset, ac penitus compressisset, ut ingenitam ipsi crederent, quam praeseferebat, columbae mansuetudinem. Minister Mexici cum per domestica deambulacra conspexisset externum quemdam, qui ad cubiculum Socii, theologiae dantis operam, contendebat; placide, ut solebat, ipsi enuntiare pro munere non omisit, ejusmodi Sociis ne-

fas

fas esse, in ipsorum cubicula externum ullum admittere. Cum autem ille, qui et laurea, et genere conspicuus erat, dignitatem offendi suam existimaret, atque ad domus Moderatorem de illata sibi, ut ajebat, injuria quereretur; hic Moderator Dionysium accersivit, coegitque, ut volentem Doctorem in praedicti Socii cubiculum ipse conduceret. Arduum profecto imperium! Sed nihil aut pudor, aut ira Dionysium impedierunt, quominus vultu imperturbatus, atque eleganter urbanus in ipsum cubiculum, cujus aditum prius negaverat, Doctorem illum, victoria sedatum, introferret. Id autem ei contigit ab homine, qui et meritis, et pietate clarus erat, et constitutus in Magistratu, fungebatur auctoritate Dionysium frangendi, ac deprimendi, summopere confisus ejusdem virtuti. Acerbiora ipsi venerunt ab aliis, aut natura inurbanis, atque impolitis, aut miserum in modum effraenatis, quorum unus, alterve non raro inveniuntur, qui numerosas familias, etiam sanctissimas, interturbant. Designatum olim Dionysium, qui externum infirmum pro confessione audiret, redeuntem a munere Socius Adjutor, datus illi comes, oravit, ut amici domum obiter intrarent: quod cum se posse facere Dionysius negaret, non prius impetrata Superioris facultate; id satis fuit, ut Adjutor ille plura evomeret furiosorum more; quae vero nullum expostulationis verbum elicere a temperantissimo Dionysio potuerunt. Fuit quidam, quem ab elata, et aspera natura fere omnes

aver-

aversabantur: et hic totis viribus diutine conatus est, Ministrum Dionysium ad iram provocare, ut pene videretur tanquam in gloriam quamdam, in id adspirare, ut ille excandesceret. Postea vero quam efficacissimas artes ad finem obtinendum saepius adhibuit, et importunis admodum horis identidem illum convenit, et quaesitis perperam causis, arroganter, et impudenter ipsum allocutus est; postremo victas dedit manus, et ingenue professus est, se prius delassatum esse, quam obtinere potuisset, non modo intueri commotum stomacho Dionysium, sed nec modice recedentem ab illa suavitate; quae in ejus vultu mirifice constans enitebat. Ut Ministerium quodammodo sapiebat censuram, et munus habebatur oppido difficile; non semel accidit, ut nonnulli, quo loco possent inaudiri a Dionysio, ipsius rationi gubernandi obtrectarent: ille vero semel tantum rem se inaudiisse significavit; non quidem ut cum illis expostularet; sed ut causam placidissime redderet, cur id fecisset, quod dederat obtrectationi argumentum. Nec defuere; ut facile est in tanta hominum multitudine; ac rebus maxime perturbatis, qui et verbis elatioribus; et interdum contumeliosis; dignitatem ejus petulanter offenderent: fuit etiam ingentis impudentiae sannio, qui et privatim, et publice Ministrum suum irrideret. Ille vero ad haec omnia, vel mansuetus interrogabat: Quid ergo mali feci? Vel in verba Dei amorem significantia erumpebat; vel insanientium audaciae silentium

altis-

altissimum opponebat. Socius alter in portu Mnestei lodices a Dionysio cum postulasset: *Unum stragulum*, ait ille, *tantummodo habeo*, *quo noctu cooperior; id si placuerit*, *libenter tibi concedo*. Profecto, respondit alter incredibili rusticitate, hoc pro meis usibus consentaneum erit. Quod cum dixisset, sine stragulo reliquit Dionysium; qui mirabiliter temperans obmutuit.

Credebat, quasi corporis oculis intueretur, quae mysteria omnia sive Deus olim manifestavit, sive per Ecclesiam credenda proponit: cujus Fidei eximium erat argumentum inflammata illa pietas in Eucharisticum Dominum. Ab eo sane inter primos initium habuit laudanda consuetudo, Numen Eucharisticum domi asservandi: quam quidem consuetudinem sanctissime custodiere Socii usque ad Societatis excidium. In amoribus habuit, ante hoc Numen assidue, ac longo tempore prosterni, pieque ac semper nudo capite, utcunque torperet frigore, illud adorare. Ab suo cubiculo exire non poterat, quocunque vellet pergere, quin juxta domesticum sacrarium transiret: nunquam vero transibat, quin demissa pietate genua flecteret, ac Fidem ferventissimus excitaret. Hanc genuum flexionem festine, incogitanter, et quasi more pecudum, a quibusdam agi, vehementer dolebat, et saepe lamentabatur. Jucundam sibi ducebat occupationem, quam saepissime mundare ampullas vitreas pro vino, et aqua Sacerdoti ad aram ministrandis, oleum addere lampadi, lumen exsuscitare, hisque similia, quae ad elegantem

tem sacelli munditiem attinerent. Et cum timuisset Socius aedituus, haec agere Dionysium, quo blande ipsum moneret de indiligentia in suo munere: *Id equidem facio*, ait *ille*, *non quod te defecisse animadverterim*, *sed quoniam me maxime delectat*, *in iis*, *quae cultus Domini sunt*, *meas manus*, *et operam adhibere*. Admonuit olim aedituum, nescio quid concinne disponi, quod in ara Numinis videbatur non apte collocatum; et inter haec ingenti suspirio emisso, quod renovatus Fidei fervor ab imo pectoris extorsit: *Domine*, inquit, *dilexi decorem domus tuae*. Jucundi erat spectaculi, actuosam ejus operam in Eucharistici Numinis obsequium intueri, ad Corporis praesertim, et ad Cordis Jesu Christi solemnia; et quo tempore solicitus erat de altaris ornatu, qui pro rerum inopia elegantissimus fieri posset, identidem audiebatur in haec Jesum alloqui: *Sic nos tu visitas*, *sicut te colimus*: in aliave, quae singulàrem ejus voluptatem in iis agendis, et religiosam mysteriorum Fidem significabant. Quae quidem ab ejus pectore tam ardentia erumpebant, ut, quotquot aderant, flammae fierent participes, atque ad praesentis mysterii religionem excitarentur. Et hinc facile conjicitur, quam fervido conatu a maculis vel minimis conscientiam tergeret, ut mundis manibus Numen contingeret, cordisque hospitio purissimo quotidie susciperet. Ab hac Fide comparebat in Ara Minister Christi tam pie modestus, ut supra demonstravimus, atque eximie diligens in Ecclesiae ritibus fideliter ob-

ser-

servandis; quorum rituum ne praeteriret vel minimum, unum aliquem Sacerdotem orabat semper, ut sibi sacrificanti interesset, pollicito quodam praemio, siquid in eo genere peccare se animadverteret; ac certe Socio cuidam, qui monuit ipsum de levi errato ab se commisso in ejusmodi caeremonias, mercedis loco sumptus omnes pro itinere ad Lauretanam Domum persolvit. Hoc iter cum egit ipse, tametsi stomacho saepius langueret, viae se dabat quotidie jejunus; ut versus meridiem ad Aram faceret, quo tempore prandium in diversorio parabatur. Hac una Fide suffultus complures horas genuflexus quotidie durabat, oculis aut humi, aut in altari defixis, in profunda sacrorum meditatione, quibus aderat. Pro Fide vitam amittere, maxime in votis habuit; quod manifestum fecit, cum juxta Mauritaniam navigans, aliis timore correptis, ille ad familiarem in laetitia vultus haec dixit: *Utinam in piraticam agentes inciderem, et sanguinem pro Christi Fide ad postremam guttam profunderem!* In ejusdem Fidei obsequium intensissime studebat Divino Codici; et Sociis juvenibus auctor erat, ut ab eo volvendo nunquam cessarent, in quo certe profectum, et delectationem animi reperirent.

Firmissime intuebatur Deum tanquam primam causam beatae aeternitatis, ut etiam meritorum, quibus obtinent sibi Mortales nunquam amittendam coronam; quae omnia sibi a Deo donanda, nulla tergiversatione sperabat.

Sae-

Saepius in colloquio familiari narrabat, ut alios ad hanc Fiduciam cohortaretur, pium quemdam Sacerdotem fuisse in igne lustrali excruciatum eo nomine, quod plane desperavisset, se recta e dolorum lectulo ad beatorum gaudia volaturum; *Cujus exemplo*, ajebat, *in magnam adducor laetitiam, ut minus timeam a mea malitia, quam spero a Divina Misericordia*. Jam jam e corporis custodia evocandus, audivit Sacerdotem lecto proximum, qui totis viribus ipsum hortabatur, ut speraret, a mortali carcere se ad immortalem gloriam e vestigio transiturum; addebatque Sacerdos idem: *Plures mea sententia sunt, qui post mortem purgandi ad tempus idcirco detinentur, quod ab hac Fiducia defecerint*. Dionysius vero moribundis labris, et justorum sinceritate respondit: *Equidem credo, ad Optimi mei Judicis tribunal nullo me reum peccato diffidentiae venturum*. Bononia Pisaurum profectionem adornans, de morte sibi impendente, quasi de re nihil dubitanda, cum familiari colloquebatur, et post plura Fiduciam suam aperte significantia, in haec tandem desiit: *O solatium humanis verbis ineffabile! quod agendum mihi est cum Deo infinite misericorde!* Assiduus erat in illis ingeminandis: *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te;* ajebatque, male sibi consulere, quin imo diras in semet effundere, qui modice in Deo sperans, ejusmodi verba pronuntiaret. Mirum erat, quam adhiberet navam, et strenuam eloquentiam, quantamque verborum efficaciam in hac

virtu-

virtute promovenda, cum praesertim aliqua urgeret calamitas; et quo gravior haec esset, eo magis Divino auxilio se committebat, vehementiusque alios cohortabatur, ut eidem anchorae firmiter adhaererent: quo sane calamitatum tempore, Divinorum librorum verba ita opportune memorabat, Christianam Fiduciam in animis omnium excitaturus; ut nulli non pateret, quam assiduus hos legeret, quam intentus Divinae Bonitatis argumentum meditaretur. Hanc hominis efficaciam, quoties de excitanda in alicujus animo Divina Fiducia ageretur, magno emolumento Barraganus probavit, supra a nobis memoratus; qui cum morti proximus vehementer timeret Deum Judicem, atque opem in gravissimo angore a Dionysio postularet: *Nihil est*, excepit iste, *cur desperes: tu quidem omnino ut sis inops meritorum, attamen ditissimus est Jesus Christus, qui pendens e Cruce te amantissimus intuebatur, et Patri AEterno pro te, qui nunc times, vitam suam libenter immolavit: neque vero a tuis meritis duntaxat aeterna tibi salus erit, sed a meritis ipsius Dei hominis, quae scimus morienti cuilibet, dummodo peccata rite expiaverit, sine dubio profutura*. Quae verba, hisque similia, pari efficacia, et suavitate ab intimo Dionysii fervore prodeuntia, in eam Fiduciam Barraganum erexerunt; ut a praedictis fluctibus in malaciam admodum tranquillam devenerit, nec ultra expaverit ab sua meritorum inopia: quin imo Socio postmodum suggerenti, ut morbi cruciatus patienter exciperet, quo poenas

nas lueret erratorum: *At ego*, respondit, *ob Christi merita in beatos annumerabor; ob eademque spero, lustralis ignis immunem me statim ab interitu futurum; atque eatenus bis confido, ut tametsi cruciatus non haberem Numini offerendos, fidenter tamen jus meum in Jesu meritis collocarem.* Quanta est efficacia verbum, cum ab eo prodit, qui eminet in virtute, quam suadet!

Excelluit etiam in ejusdem Numinis amore, cui firmissimus confidebat; et ab hoc amore valuere plurimum caeterae virtutes, quas adhuc descripsimus. Operibus, verbis, cogitatis, Deum amabat, Deum quaerebat; nec semel haec ab ejus ore audita sunt: *Equidem non ignoro, meam in Ministerio agendi rationem non omnibus placere; caeterum Dei obsequium, nec hominum, nisi propter Deum, in votis mihi est.* Cum opus, quod semel aggredi constituerat, in Dei esse gloriam existimabat; nihil unquam omisit, fortitudinem opponere difficultatibus, quae orirentur ab hominibus, cujuslibet isti essent auctoritatis. In sacris olim excursionibus, lustrandum venit oppidum, in quo viri quidam, primae ibi dignitatis, plane obsistebant faciendis concionibus, et reliquis de more ministeriis exercendis. Dionysius autem, qui omnino judicavit, id esse ab Stygiis furiis in animorum perniciem; tantisper exuit agni mansuetudinem, et nihil pavidus ad oppugnantium auctoritatem, Dei causam egit summo fervore, ac tandem obtinuit, sacris concionibus, et confessionibus oppidanos excolere. Hoc exsti-

mulatus amore, ardebat ingenti studio, Deum clare intuendi, atque in ipsius perfectionum cognitionem se totum immergendi: et hinc in omnibus humanis fastidiebat, nec ulla res erat, ut ut plena castae voluptatis, et gratissima sensibus illi describeretur, quam suis oculis, auribus ve dignam existimaret. Siquando suaderetur, ut valetudinis causa domo exiret, relaxaturus parumper animum: *Nolo*, ajebat, *levamentum aliud, nisi omnino Deum*. Interdum respondebat cum illis Augustini verbis: *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Quadam die, cum Socius ejus familiaris ipsum hortaretur, ut scenicis actionibus interesse vellet, quas in Bononiensi Divi Xaverii Seminario Pubes Nobilis tradebat spectandas, multisque laudaret illa delectamenta, quibus oculi, et aures honeste capiebantur: *Atqui*, respondit Dionysius, *in Dei visione me manent his omnibus infinite jucundiora*. Nullibi acquiescebat lubenter, nisi ubi Deum audiret; nec usquam colloquia in longum ire passus est, quin aliqua, quae Deum saperent, consulto insereret. Non erat invenustae rusticitatis homo, qui sermones de Divinis importunus obtruderet; sed longo usu de istiusmodi loquendi edoctus, et semper ad captandam occasionem paratus, in eam dexteritatem se se suaviter insinuandi pervenerat; ut, inchoato quovis colloquio, paulatim Dionysius, nihil tale cogitantibus, qui aderant, rem totam ad coelestia, et praesertim ad Numinis

per-

perfectiones converteret. In quibus exponendis, eo loquebatur fervore, ut vultu interdum inflammaretur; eaque copia, et vi verborum, ut audientes facile inflecteret ad Dei amorem, quem praedicabat. Ad haec, perfungebatur mira quadam dulcedine in dicendo, quam pene quis diceret, efficaciorem, et facundiorem videri, quoties tractabat coelestia. Profecto plures erant Socii juvenes, qui data opera tempus aucupabantur, cum ille conveniebat infirmos; ut Divina loquentem inaudirent: ac supersunt adhuc, qui palam asserant, nunquam se non doluisse, cum recedebat Dionysius, a cujus ore prodire Divini amoris jacula videbantur. Illo quidem abeunte post ejusmodi colloquia, pluries auditi sunt in haec erumpere, qui aderant: *Sane justus est, ac spectatissimae probitatis Minister! Quam ardet! quam urgetur Divina Charitate!* Intravit olim domesticam officinam, ubi Socii complures erant, ad quos insalutatos, nulla usus praefatione, vultu autem mirum in modum accensus, et fere a sensibus abalienatus, repente prorupit in admirationem beneficiorum Dei, et praecipue ingentis amoris, quem hominibus Deus Homo beneficentissimo Corde manifestavit: haec autem tam inflammatis verbis, tam exquisitis pro re nata cogitatis, ut nemini dubium fuisset, recens venire Dionysium a meditationis ustrina, unde totus ardens extulerat sagittas illas Divini Amoris, quibus animo se convulnerari sentiebant. Alibi etiam sermonem induxit de dignitate, magnitudine,

 ac

ac praestanti excellentia sanctissimae Deiparae; cum vero torrentis instar ferebatur in ejusdem perfectionibus ponderandis, repente obmutuit, quasi in mentis alienatione, oculisque unum in locum directis; et mox ad eumdem, quocum loquebatur, conversus, ita inquit: *Quantus est Deus! Maria Virgo tanta est, ut in ejus dicenda magnitudine, nulla non haereat humana lingua; haec autem tanta Domina si cum Deo conferatur, minus est quam formica, vix non est nihilum!* Et profitebatur postmodum Socius ille, ad Deum amandum se moveri, quoties meminerat fervidum Dionysii vultum, cum haec verba proferebat. Id satis pro argumento, quod certe in volumen cresceret; si omnia, quae id generis aut vidimus, aut intelleximus, narratione persequi institueremus.

Plura disseminavimus in tota ejus vitae serie de ipsius charitate in homines; quos amavit quidem gratuito, constanter, et nullis amori terminis praefinitis: nec enim aut dilexit, quod accepisset beneficium; aut diligere cessavit, quod amori suo dilectus neutiquam responderet; aut hunc, illumve respiciebat, quem benevolentia dignum arbitraretur; sed aequabilis vultu, et animo se se omnibus praestabat, illis non demptis, a quibus injuria, sanna, contumelia sibi contigerat. Haec numeris omnibus absoluta charitas tanquam parens fuit illius mirificae dotis, qua tot hominibus, quorum sua est cuique natura, obsequebatur, in

alio-

aliorum incogitantia connivens, errata sufferens, unumquemlibet alloquens, ut privatam cujusque indolem exigere intelligebat: ut neminem non liberaliter habitum a se dimiserit, nullius calamitatem sibi communicatam non comploraverit, nullius prosperitati non plauserit. Ad charitatis trutinam omnia et opera, et verba dimetiebatur; ut nemo unquam sibi merito succenseret: quod si forte aliquis, ut non raro in mortalibus contingit, a falsa quadam opinione infensus illi esset; nihil non tentabat tum blandis verbis, tum officiosis obsequiis, ut hominem deliniret, prorsusque certum faceret de sua in ipsum benevolentia. Perperam crediderat Socius quidam, per illum stetisse, quominus ipse Lauretum contenderet; quam opinionem Dionysius ut avelleret, expensas ei pro itinere suppeditavit. Socium alterum, quem iratum sibi suspicabatur, visitabat quotidie; quod sane non fecit (ut familiaris ejus in arcanis ab ipso intellexit) quin repugnantem naturam egregie vinceret, charitatique victimam immolaret. Charitas eadem linguam ejus temperabat, ne unquam in detractionem offenderet: quoties de aliorum factis mentio incidebat, pronus erat ad laudes; et coorta dubitatione de facti alicujus rectitudine, illico patronus causae insurgebat. Quod si res ita erat deplorata, ut omnino bene loqui non posset; silentio saltem tegebat aliena crimina, etiam ea, quae sibi, aut charis quibuslibet jacturam attulerant. Idque unum in ejusmodi ab illo au-

audiebatur, ut silentium aliis indiceret: *Quid nostra interest? Deus ei opituletur; Deus est, qui judicabit hominem; omnia Deo commendemus; opus in speciem pravum aequus animus interdum excusat*. Solebat etiam lepidas aliquas narrationes urbane conserere, ut festiva jucunditate allecti, ab inchoata detractione cessarent. Nulla demum erat industria, quam strenuus ille non adhiberet, ut ab ore Sociorum hanc perniciem charitatis averteret: idque fuit in causa, cur a pluribus Dionysius aurea donatus lingua diceretur. Atque in studio hujus virtutis nihil a verbis opera discrepabant; ut certe, qui recoluerit Dionysium ab religiosae vitae primordiis usque ad sepulchrum, nihil plane reperiat, quod perfectissimae charitatis imagini non conveniat. Cum ultra non licuit vacare sacris ministeriis animas erudiendi e suggestu, ipsasque expiandi poenitentia; intentissimo fervore Deum in solitudine orabat pro aeterna universorum salute; idque ut assidue fieret ab Sociis omnibus, identidem suadebat in colloquiis. Illae nimirum perpetuae feriae, quibus cessare coactus est ab omni opera in animorum emolumentum, maximus illi fuit cruciatus, quamdiu vixit ab Hispanis finibus remotus. Quam partem Institutorum Societatis, quoad potuit, supplevit non solum modo enuntiatis ad Numen precationibus, et fervidis de pietate sermonibus; verumetiam optima juvenum Sociorum informatione ad veram animi sapientiam; supplevit vero abundantius gene-

ro-

rosissima sua largitate, quae postremo ejus vitae quinquennio nullos admodum novit terminos, nisi qui sunt ordinatae charitatis. Praeter alibi a nobis demonstrata, nonnulla subnectemus, quae veritatem hanc adstruunt; pluribus tamen intermissis, ne tot ejusdem naturae factis taedium legenti afferamus. Nemo fuit ullus in universa Sociorum multitudine, cujus inopia Dionysio nota fuerit, ad quem adjuvandum non ultro volasset ejus charitas. Audivit in portu Mnestei, quemdam esse in alia domo, quem non modica urgebat penuria; immisit illi e vestigio, non solum quod satis esset ad arcendam miseriam, sed quod ipsum affatim allevaret. Alterum aegerrime vivere intellexit die ante suae mortis pervigilium; et continuo imperavit, ut octo uncialibus argenteis, e sua pecunia extractis, egenus ille recrearetur. Ingentem arcam re lintearia refertam a Patre accepit, Veracruce proficiscens; quam totam fecit vacuam Dionysii misericordia, qui prorsus intueri non poterat indigentem, quin illico manum extenderet ipsi opitulaturam. Accidit etiam non semel, egere semet ipsum malle, quam alteri egenti non succurrere. Reconcinnanda olim dedit sarcinatori domestico fidissima illa femoralia, quibus usum diximus ad annos duodeviginti; sed cum ita essent lacera, ut, unde inchoaret assuere, nesciret sarcinator, ingenua simplicitate Ministrum interrogavit: *Quid non tandem rejicis haec scruta, et novis uteris femoralibus, quae dudum fuere tibi donata?* Cui

bre-

breviter Dionysius: *Nova illa dedi misero, quem nulla habere intellexi*. Plures erant, quibus proventum aliquem ex sui usus pecunia pro singulis mensibus designarat: alteri, nec modico quidem tempore, omnino sumptus erogavit. Socium, Ferrariae commorantem, male vexari moestitia cum audiisset, consolatorias illi dedit litteras, ipsumque benigne invitavit, ut animi causa in suburbanum Herculanorum veniret; ac ne ab inopia deterreretur, pollicitus est, itineris impendia se soluturum, ut etiam adjuturum non leviter pro alimentorum expensis: et fidem suam liberavit abundantius, quam promiserat. Socios in ejus domum divertentes quamliberaliter excipiebat, urbanus eos visitabat, ipsorum lectulos interdum sternebat, et quantum pati poterat disciplina domestica, nulli parcebat sedulitati, ut jucundum eis esset diversorium. Ita quidem nullus a Dionysio abibat, quin affabilem ejusdem charitatem summopere miraretur. Siquis ex sibi Subditis in diuturnum morbum incideret, non solum invigilabat, ut illi ministraretur, quidquid Medicus imperaret, cujuslibet illud esset pretii; sed etiam ex destinata suis usibus pecunia uncialem argenteum tradebat familiari cuidam, ut datis temporibus delicatiora esculenta coemeret ad infirmi voluntatem, quam Medicus probaret; neque primum argenteum consumi patiebatur, quin secundum, et hinc tertium, et alteros in eumdem usum erogaret. Quoties catharticum jubebatur a Medico, Dionysius ip-

se

se mane porrigebat aegroto; et salutares alias potiones, tametsi stomachum ejus aut ab injucundo sapore, aut a gravi odore perturbarent; ut tamen exemplo moveret infirmum, ipse identidem propinare non recusabat. Nec semel, praescriptum sibi medicamentum, alteri aegro deferendum imperavit; nihil sane dubitans, obedientiam Medico debitam jure interdum concedere charitati. Solet aegritudo morosos, queribundos, iracundiae impotentes reddere homines, aliaque naturae vitia exsuscitare, quae compressa jacebant a virtute, atque honesta educatione; in iis autem aegrotorum vitiis tolerandis erat Dionysius incredibili mansuetudine. Vocatus a quodam intempestiva noctis hora, ut de nugis, aegra mente profecto dignis, ipsum percontaretur; mirifice suavis ad interrogata respondit, eaque suavitate ansam illi dedit, ut hominem tam leni natura secum vellet totam fere diem commorari: et cum saepius Dionysium cogeret, Sacerdotales etiam precationes, et lectionem de rebus divinis in ejusdem cubiculo solvere; postremo mansuetissimus Minister praefinivit sibi tres totas horas, quas in colloquiis cum ipso quotidie protraheret. Aliis praeterea ministeriis, ejus delicatissimo stomacho parum convenientibus, in aegrorum administratione praesto erat; quibus difficiliter praestari solent, qui mercede alia, quam charitate, conducti sunt. Et hoc studium aegrotis inserviendi, non in Ministerio recens comparaverat; sed ei quasi ingenitum ab

ab religiosae vitae initiis, cum ipso adolevit, ac fere non interrupte excultum, ad mirabilia pervenit incrementa. Profecto cum juvenis Theologiae studebat, ut primum noverat infirmum aliquem periclitari, facultatem a Superiore impetrabat, et suis onustus libris, ne subcisiva quaedam tempora otiose tereret, in aegroti cubiculum contendebat. Consulto abstinemus a minutis aliis narrationibus, quae non leviter valerent in ejus virtutibus describendis. Qui cominus agere cum Dionysio potuerunt, pleniorem certe desiderabunt imaginem; sed timemus longissimi videri, si fortasse nos legerint, et qui hominem haud noverunt, et erudita posteritas.

IN-

INDEX

Vitarum, quae in hac prima parte continentur.

JOANNIS VILLAVICENCII.	Pag. 1
ANTONII CORRI.	36
NICOLAI CALATAJUDII.	66
FRANCISCI PEREZII.	111
AUGUSTINI MARQUEZII.	159
FRANCISCI ZEVALLII.	233
JOANNIS ROTERICII.	270
DIONYSII PEREZII.	315

Pag.	*lin.*		*lege*
15	16	blennio	biennio
17	9	lilia ?	lilia !
	25	vocaverat	vacaverat
25	4	candidati ?	candidati !
	6	conferretur ?	conferretur !
68	25	obtinentibus	obnitentibus
187	4	accederent	accederet
242	1	prae caeteris	praeceleri
271	15	pietatis	pictis
324	6	confluenee	confluente

Vidit D. Joseph de Bonis Clericus Regul. Sancti Paulli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pœnitentiarius pro Eminentiss., ac Reverendiss. Dom. D. Andrea Card. Joannetto Ordinis S. Benedicti Congreg. Camald. Archiep. Bononiae, & S. R. I. Principe.

Die 10. Septembris 1791.

I M P R I M A T U R.

Fr. Aloysius M. Ceruti Vicarius Gener. S. Officii Bonon.



